יהוה



INSTITVTIO THEOLOGICA
ANDOVER FVNDATA MDCCCVII.
Ps. CXIX. 169.
כדברך הבינני
JOH. XVII. 17.
ὁ λογος ὁ σος αληθεια εστι
ΑΚΡΟΓΩΝΙ
ΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ

# DIATRIBE

IN

# JOHANNIS WICLIFFI,

REFORMATIONIS PRODROMI,

VITAM, INGENIUM, SCRIPTA.

# DIATRIBE

IN

# JOHANNIS WICLIFFI,

## REFORMATIONIS PRODROMI,

## VITAM, INGENIUM, SCRIPTA.

AUCTORE

S. A. J. DE RUEVER GRONEMAN,

THEOL. DOCT.

TRAJECTI AD RHENUM,

APUD ROB. NATAN.

MDCCCXXXVII.

VIRO CLARISSIMO

**PHILIPPO GUILIELMO VAN HEUSDE,**

JCTO, ORDINI LEONIS BELGICI ADSCRIPTO, PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. DOCT. ET IN ACAD. RHENO-TRAJ. PROF. ORD., INSTITUTI REGII ARTIUM DOCTRINARUMQUE TERTII ORDINIS SOCIO,

ET

VIRO CLARISSIMO

**HERMANNO JOHANNI ROYAARDS,**

THEOL. DOCT. ET IN ACAD. RHENO-TRAJ. PROF. ORD., SOCIETATIS HAGANAE PRO VINDICANDA RELIGIONE CHRISTIANA MODERATORI, SOCIETATI HISTORICO-THEOL. LIPSIENSI, THURINGICO-SAXON. ANTIQ. HALENSI, LITERARIAE AFRO-AUSTRALI IN PROMONTORIO BONAE SPEI ALIISQUE ADSCRIPTO,

**PRAECEPTORIBUS DILECTISSIMIS,**

D. D. D.

*Auctor.*

# PRAEFATIO.

*Magnam quum in aequales suos et in posteros vim habuerit atque efficacitatem Wicliffus, et illa, quae eum tulit, aetas in Anglorum historiâ valde sit memorabilis, hac conscribendâ disquisitione nobis proposuimus indagare, qualis ille fuerit, quibus vixerit temporibus, quaenam scripserit, ac cujusmodi spectaverit Ecclesiae reformationem. Ut autem, quid praestiterit, magis in oculos incurreret, pauca, antequam vitam ejus describere instituimus, disputavimus de Ecclesiae reformandae studiis, quae ante illius aetatem in Europâ viguerunt. Quandoquidem vero Wicliffus non praefervido quodam animi impetu abreptus, sed maturo judicio ac ratione ductus, Ecclesiae errores oppugnavit sensimque in eâ reformandâ progredi voluisse videtur, ex hujus progressus animadversione fluxit nostri opusculi partitio. Exploratis ita vitâ ejus, ingenio, placitisque primariis, nonnulla tum diximus de scriptis ejus*

*quibusdam praecipuis; et tandem disputationis summam breviter complexi sumus, ut pateret, quid de Wicliffi studiis et conaminibus esset existimandum.*

*Ad fontes quod attinet, hausimus tam e scriptis eorum, qui parum Wicliffo faverunt, quam e scriptoribus, qui plurimi eum aestimarunt. Usi igitur sumus potissimum Annalibus Henrici Knyghtoni et Thomae Walsinghami, quorum ille ipsâ Wicliffi aetate, hicce saeculo insequenti, floruit: praeterea consuluimus, tum Conciliorum Actorumque publicorum nonnulla monumenta, tum opera Balei, Foxii, Harpsfeldii, Woodii, Whartoni, aliorumque, qui de Wicliffi rebus egerunt. Nobis autem, ex ipsius viri scriptis ingenium ejus et placita praesertim esse explananda intelligentibus, neque libros ejus MSS., qui magno adhuc asservantur numero, inspiciendi copiâ factâ, succurrerunt et facem egregie praetulerunt auctores illi Anglici, qui popularis sui memoriam immortalitati commendarunt. Quod enim antea maxime Thomas Jamesius, in Apologiâ, quam scripsit anno 1608 pro Joh. Wicliffo, et Johannes Lewisius, in libro: The Hist. of the Life and Sufferings of John Wicliffe D. D. Lond. 1720, inceperant, hoc nostrâ aetate multo accuratius uberiusque elaboratum est a Roberto Vaughano, in opere: The Life and Opinions of John de Wycliffe D. D. Lond. Ed. 2. 1831, qui e libris Wicliffi MSS., cum vitam ejus et ingenium, tum doctrinam, eximie illustravit. Atque hujus maxime secutus operis rationem, non tantum in eruditorum, verum in quorumvis cultorum hominum commodum, paulo post vitam Wicliffi brevius conscripsit C. W. Le Bas:*

*The life of John Wiclif. Lond. 1832. Tum quoque proficere nobis licuit e Baberi praefatione ad Versionem Novi Test. Wicliffi, quam evulgavit anno 1810, exque opusculo, partes quasdam e MSS. Wicliffi continente, quod nuper a societate quadam religiosâ Londini editum est. — Et haec quidem hactenus de argumento, de ratione et fontibus nostrae disquisitionis.*

*Attamen ut alia hoc loco insuper literis mandem, meus me sponte animus impellit. Ecce! scilicet opportunitas, diu illa desiderata, qua praeceptoribus aestumatissimis, quorum institutione uti mihi contigit et in Gymnasio et in Academiâ, quantopere me devinctum iis sentiam, significare possim. Si enim a parentibus optimis discessero, quorum me ingens eheu! tenet desiderium, illis praeceptoribus innumera me debere ingenue confitebor. Quippe publicae in hujus urbis Gymnasio disciplinae, in quam eram traditus, amica doctissimi Ekkeri voluntas, viri non minus eruditione quam humanitate conspicui, domesticam quoque adjunxit institutionem. Non solum ille linguas mihi, Graecam et Latinam, tradebat, sed, quod imprimis ei acceptum refero, primum literarum in me suscitavit amorem aluitque assidue. Quocirca tempus apud optimum huncce virum domi sic transactum gratâ usque recolam memoriâ. Simul Cl. Heusdius, singulari erga me benevolentiâ ductus, una tunc cum filio suo, sodali meo et amico, literis etiam recentioribus me erudiendum curabat: neque illud tantum, sed et ipse nobis veteris Latii et Graecorum poëtas, vel alium ex antiquis scriptoribus, explicare saepenumero so-*

*lebat. Neque minus studiis meis impense favit vir ille humanissimus, ex quo tempore nostram adii Universitatem. Quum Goudoeverus enim et Schroederus, Clar. viri, quos ob multa, quae mihi praebuerunt suae in me benevolentiae documenta, plurimi semper faciam, me incitarent atque egregie adjuvarent, ut philosophiae literisque humanioribus operam navarem, Heusdius, et publicâ, et domesticâ institutione, historiae et antiquae philosophiae me imbuit studio. Ad viri familiaritatem magis in dies admissus, quantopere mihi profuerit ille, dicere vix possum. Quodsi in me aliquid non prorsus improbandum videatur, hoc cum aliis summis viris, tum vel maxime illius suavissimis sermonibus, prudentissimis admonitionibus, et vero etiam insigni exemplo me debere, omnibus dico. Namque suo praesertim exemplo commendare juvenibus solet studia quaeque honestiora. Quotiescunque autem reminiscor horas illas vespertinas, quum eum philosophiam Socraticam ac Platonicam elegantissime interpretantem, et pro urbanitate suâ atque erga juvenes indulgentiâ amanter disserentem, audivimus, toties mecum dico, ah! mihi praeteritos referat si Juppiter annos. In explorando vero et elaborando, quod aggressi sumus, argumento historico, e viri de gentium historiâ lectionibus praeclaris itemque monitis gratissimis fructum percepi et utilitatem haud exiguam. Tot igitur tantisque me ornavit beneficiis dilectissimus Heusdius, ut, quem diu jam sum admiratus plurimique aestimavi, eundem amore satis prosequi me nunquam posse, probe equidem sciam.*

*Ad theologorum porro ubi accesseram scholas, ut ad theologiae studium, cui potissimum et vires et tempus deinceps impendere mihi proposueram, gnaviter me applicarem, valuit egregie virorum Clar. Heringae, Boumanni, Royaardsii et Groenewoudii institutio. Ex Cl. Boumanni disciplinâ quantum proficere liceat, omnes norunt, qui viri illius frequentarunt scholas. Heringae autem, venerabili seni, cui, quum Vinkius, theologus laudatissimus, provinciae ejus partem nunc susceperit, ut otio cum dignitate, quod sibi solum expetivit, diutissime frui contingat, exoptamus, magnam habeo gratiam pro eximiâ institutione et benevolentiae testimoniis: quae quidem benevolentia apparuit rursus, quum ex amplâ suâ librorum collectione nonnullos mihi, quibus in nostrâ conscribendâ disquisitione erat utendum, humaniter suppeditavit. Sed hac in re imprimis Cl. Royaardsii summam erga me humanitatem obtinui, qui non tantum Promotoris partes benevole suscepit, verum consiliis monitisque ita mihi adfuit, ut, quoties a gravioribus negotiis eum avocarem, nunquam mea studia juvare recusaverit. Praeterea, cum lautissima ipsius bibliotheca mihi patuit, tum librorum subsidia aliunde ad me pervenienda curavit. Nec vero minus viri institutio, quam humanitas, mihi profuit. Historiae enim studium, quod Heusdius in me excitaverat, Royaardsii praelectiones et scripta magnopere auxerunt. Eandem scilicet fere rationem et viam, quâ illum gentium historiam pertractantem audiveram, hunc sequentem videbam in explorandâ historiâ Ecclesiasticâ. Grato semper animo recordabor insignem,*

*quo vir ille aestumatissimus me prosecutus est, favorem; utque in posterum eodem erga me esse animo pergere velit, valde opto, ego vero, ut non omnino me indignum praestem, operam dabo.*

*Quodsi in magnorum virorum recipi familiaritatem, res est honoris plena, amicitiam inter pares et aequales colere, suavissimum est. Imprimis, jungere consuetudinem cum iis, qui eādem honestae gloriae cupiditate, eodem inquirendi studio, iisdem sensibus, atque nos, ducuntur, placere solet. Atque gratis cum ejusmodi amicis colloquiis, quae in multam subinde noctem protrahebantur, permulta quoque accepta refero ad studia mea alacriter persequenda.*

*Ut igitur his omnibus propitius sit Deus Optimus Maximus, ardenter precor.*

TRAJECTI AD RHENUM,
die XIII Junii. MDCCCXXXVII.

# DISQUISITIONIS CONSPECTUS.

## CAPUT II.

WICLIFFUS, VIRILEM INGRESSUS AETATEM, MORES MAXIME EMENDARE STUDET.

*Ab anno 1356 ad annum 1367.*

Wicliffi ad virtutem indoles. Aevi corruptela. Mores clericorum imprimis emendare sibi proponit. Gravis in Angliâ pestilentia, anno 1348 — effectus hujus mali in aequalium et ipsius animum. Anno 1356 libellum edidit: *de ultimâ aetate Ecclesiae.* Monachis Mendicantibus vitia et perversa studia in scriptis et disputationibus exprobrat. Hujus instituti monachici indoles, consilium, depravatio, — eorundem in Universitatem Oxoniensem dominandi studium. Cum alii, tum praecipue Wicliffus, hujus libertatem vindicat. De scriptis Wicliffi contra fratres Mendicantes. De Longlando et Chaucero. Wicliffus anno 1361 beneficio Ecclesiastico donatur, — eodem anno Praepositus Collegii Balliolensis. Anno 1365 Praepositus Aulae Cantuariensis, — gravissima de hac nominatione controversia. Wicliffus contra nonnullos scriptores defenditur. Quemnam interea effectum habuerunt concertationes Universitatem Oxoniensem inter et fratres Mendicantes? p. 56—86.

## CAPUT III.

WICLIFFUS, PROFESSOR OXONIENSIS (1372) ET RECTOR ECCLESIAE LUTEROVORTI (1375), SCRIPTIS ET CONSILIIS HIERARCHIAM ROMANAM IMPUGNAT.

*Ab anno 1367 ad annum 1380.*

Urbanus V anno 1365 tributum ab Eduardo III postulat. Parliamenti, anno 1366 habiti, decretum. Wicliffus, a monacho quodam provocatus, senatus consultum defendit anno 1367. Alio beneficio Ecclesiastico anno 1368 donatur. De Parliamenti libello, regi anno 1371 exhibito, ut clericos a gerundis in republicâ muneribus arcendos curaret. Wicliffi hac de re similis sentiendi ratio. Anno 1372 Professor theologiae. Ejus *Expositio Decalogi.* Lites reges Angliae inter et curiam Romanam de auctoritate Papali in res Ecclesiae Anglicanae. Parliamenti anno 1373 querimoniae de provisionibus Papalibus. Legatio a rege Brugas mittitur anno 1374, quo etiam suos Nuntios Papa delegat. Wicliffus unus e legatis regis. Brugarum hoc tempore conditio. De Duce Lancastriae. Wicliffus Rector Ecclesiae Luterovorti anno 1375. Legationis exitus. Initio anni 1377 Wicliffus, errorum accusatus, in judicio Ecclesiastico Londini se sistit. Eduardus III, 21 Junii

## CAPUT IV.

WICLIFFUS, CODICEM SACRUM FIDEI CHRISTIANAE UNICUM HABENS FONTEM ET NORMAM, ECCLESIAE DOCTRINAM ERRORIBUS EXPURGARE STUDET.

*Ab anno 1380 ad annum 1382 exeuntem.*

## CAPUT V.

WICLIFFUS, UNIVERSITATE OXONIENSI OB PLACITA SUA EXTERMINATUS, RELIQUAM VITAM LUTEROVORTI DEGIT, INQUE DIVULGANDA DOCTRINA EUANGELICA AD MORTEM USQUE OCCUPATUS EST.

*Ab initio anni 1383 ad finem anni 1384.*



## CAPUT VI.

DE JOHANNIS WICLIFFI SCRIPTIS.



## Epilogus.

# INTROITUS.

Quamvis religio Christiana per medium, quod dicitur, aevum, vim exseruit in gentes Europaeas saluberrimam, hominum tamen errores et pravae cupiditates eam saeculorum decursu adeo polluerunt ac deformaverunt, ut tandem germana ipsius indoles atque natura vix agnoscerentur. Fuit igitur laetissima quaedam, quae saeculo XVI in orbe Christiano obtinuit, rerum commutatio, quam vulgo *Reformationem* dicimus: potius vero dicenda illa est *Religionis Christianae* in Europa *instauratio*, sive παλιγγενεσία [1]. Non enim primarii reformatores in Germania et Helvetia spectarunt tantum reformationem, qualem jam diu ante sibi proposuisse

1 Quandoquidem vero vocabulum *Reformatio* sermone tritum est atque ab omnibus intelligitur, liceat quoque mihi in hac disquisitione eo passim uti.

videtur Gregorius VII, Ecclesiae *in capite et membris*, quam vocant, ita ut emendarentur mores et ratio totius Cleri, vitia item et abusus, qui in Ecclesia exstiterant; cujusmodi *Ecclesiae in Ecclesia reformatio* saepius deinceps fuit desiderata et proposita: neque etiam tantum emendationem sacrorum: sed majus quid et efficacius spectarunt, quod assecuti, illa facilius emendaturi essent. Attinebat id tam ad clericos, qui arroganter se Ecclesiam esse sibi persuaserant, quam ad ipsos laicos.

Scilicet abhorrebant ab istâ Ecclesiâ, quae rite *Pontificia* dici solet. Ille, qui Christi se esse vicarium gloriabatur, Christum ex eâ fere detruserat: sedebat illic Pontifex Romanus tanquam summus legislator, summus judex; et, quanquam servum servorum Dei se diceret, tam superbe se gerebat, ut totius generis humani esse dominus videretur. Ad suum arbitrium condonabat peccata, vel damnabat, salute aeternâ beabat homines, vel sempiternam iis minabatur miseriam. Diplomata, quae hanc peccatorum remissionem aeternaeque salutis praemium concederent, Papa, id temporis imprimis, ubivis fere in Europa summâ impudentiâ divendenda curabat. Nefandae huic impietati reformatores, imbuti generoso quodam sensu religioso et morali, fortiter se opposuerunt. Ad altiora celsioraque adspirantes, nullam salutem ab istâ sperabant Ecclesiâ venali, sed omnem a gratiâ divinâ, hominibus per Christum declaratâ: non propriis suis meritis, neque aliorum bonis operibus, quae Ecclesia ex magno, quem se possidere affirmabat, thesauro inter homines dispertiebat, justi apud Deum haberi volebant, sed unice fide Jesu Christo habendâ. Inquirentes na-

viter in libros sacros, spretâ Papae auctoritate supremâ, ex uno hoc limpidissimo fonte sapere studuerunt, et hac viâ, criticam aphibentes et meliorem interpretandi methodum, quae post literas renatas emendari coeperat, purgare instituerunt doctrinam Christianam a sordibus improbisque hominum inventis et additamentis. Expromserunt denuo placita ejus primaria, quibus demum homo semet ipse recte cognoscat, divini ei Numinis patefiat vera natura, misero ei solatium praebeatur efficacissimum, animus erigatur ad mutuo amandum Deum, et ad summam evehatur felicitatem. Sic a tenebris Ecclesiae convertebant et semet ipsos et alios permultos ad intuendam veritatem, per Jesum Christum patefactam, atque illam mente animoque percipere nitebantur. Quod qui sincere studet, non potest non hic renovari totus. Itaque non vitia tantum reprehenderunt, quod plurimi a longo jam inde tempore fecerant atque etiam tunc faciebant, sed primaria quaedam placita illius doctrinae, quâ Christus divinitus homines donaverat, quamque propagaverant ipsius Apostoli, haec, per aliquot saecula turpiter abscondita, in lucem revocarunt, annuntiarunt rursus, instaurarunt. Et sic ipsâ instauratâ religione, facile emendari sacra, atque societatis forma et ratio melior induci poterant.

Doctrinae Christianae principiis resuscitatis, Ecclesia Pontificia funditus est concussa. Illi, quibus persuasum erat de bonitate rei, quam strenue agebant reformatores, quique his se adjunxerant, omnes ducti studio vindicandae libertatis cogitandi sentiendique, inque causâ religionis omnem humanam rejicientes auc-

toritatem, publice nunc contradixerunt Ecclesiae: provocantes ad Codicem sacrum, quem unicam habebant fidei normam, defenderunt doctrinam suam atque tuiti sunt adversus Papam et Pontificios. Jam liberata a vinculis, quibus perdiu retenta fuerat, vigere iterum laetissime in Europa coepit religio Christiana. Exstitit rerum conversio, indole suâ tum religiosa, tum moralis, ex quâ Ecclesia Pontificia ingens cepit detrimentum. Non tantum haec concutiebatur, sed diruebatur etiam magnam partem: et juxta antiquam Ecclesiam Romanam exsurrexit novum aedificium. Condebantur enim brevi tempore Protestantium, qui audiebant, societates, variae quidem, sed tamen omnes eidem innixae fundamento, *Christi* nempe *Euangelio*: in quibus, formâ et ratione, quantum per temporum hominumque diversitatem fieri potuit, referentibus Ecclesiam Apostolicam, sacra summâ cum simplicitate peragebantur.

Neque tamen magna haecce rerum in orbe Christiano commutatio derepente exstitit. A longo inde tempore fuit illa praeparata, variâ ratione variisque subsidiis. Gravidum eâ fuisse saeculum XV, dixit Leibnitius: neque vero minus recte dici possit, semina ejus jam concepisse saecula proxime antecedentia. Adfuerant enim ante saeculum XV Christianorum familiae et viri nonnulli praestantissimi, qui, prae suâ sapientes aetate, et libertatis moralis ardore flagrantes, Ecclesiae, quam Christianam esse negarent, perversitatem libere exagitarent, Papae et clericis exprobrarent injustitiam, dominandi libidinem, avaritiam, perditosque mores; qui,

inquirentes diligenter in libros sacros, saniorem proponere studerent doctrinam, excitare in populo virtutis amorem, atque universae rei Christianae appeterent summopere conditionem meliorem simplicioremque. Haud paucos ex his, *vitam impendere vero* paratos, vindicantes videmus causam religionis Christianae, laboribus, scriptis, consiliis, periculisque suis: et quamvis eorum conatus, quo ipsi florebant tempore, successu fere caruerint, viam tamen munivisse videntur ad religionis Christianae in Europâ instaurationem. Ab his quidem Reformationis, qui vulgo dicuntur, *Prodromis*, sive singulatim rem egerint Christianam, sive peculiares sectas et familias, quibus haereseos nota id temporis inurebatur, constituerint, sparsa fuerunt per Europam prima commutationis, tum religiosae tum moralis, semina; quibus adauctis et magis explicitis factum fuisse putem, ut desiderata tandem sit vehementissime rerum apud Christianos emendatio, utque, simulac prodierunt saeculo ineunte XVI in Germaniâ, Helvetiâ, alibi, reformatores, horum subvenerint studiis atque conatibus, et populi vis, et principum favor.

Saeculo jam XII et XIII reformandi quaedam studia in Europâ vigere inceperunt; quae strictim attingere operae pretium est, ut, Ecclesiae quaenam fuerit illo tempore conditio, simul considerantes, e pluribus, quae adsunt, exemplis ea maxime afferamus, quae prae caeteris, quam agimus, causam illustrare videntur.

Hacce scilicet sacrâ gentium aetate per totam Europam vis obtinebat Ecclesiae, quâ ceu Christianâ re-

publicâ omnes populi continebantur. Praeerat huic civitati sacrae Pontifex Romanus, qui cum Clero dominabatur in omnes. Hanc autem Hierarchiam stabiliverat imprimis Gregorius VII, ejusque successores adduxerant eam ad summum fastigium. Postquam vero saeculo XIII societatis, libertatis, juris studia enasci coeperant in populis Europaeis, Hierarchia molestior in dies facta est. Nunc principes et populi uni Ecclesiae prae omnibus servire noluerunt amplius, sed suis ipsorum simul commodis prospicere inceperunt. Temperari hoc aevo coepit ratio feudalis, exstiterunt civitates et respublicae in urbibus, et prodiit tertia hominum in societate classis, *civium*: mercatura aluit societatis et libertatis inter gentes ardorem: et postquam Irnerius Pandectas explicare Bononiae instituerat, jus civile s. Romanum opponi coepit juri Ecclesiastico. Sic a *sacrâ* ad *politicam* gentes transibant rationem [1]. Et quo magis haec libertas civilis invaluit in Europâ, eo graviori deinceps odio fuit populis Hierarchia Romana [2]. Opposuerunt se interdum fortiter principes et nobiles Pontificis Romani despotismo [3].

---

[1] Vid. Robertsoni *Introitus ad Hist. Caroli V.*

[2] Saec. XIII secta quaedam exstitit Hallis Suevorum, quae erat adversaria quam maxime Ecclesiae Romanae ob Hohenstauffiorum miseriam. Vid. Gieseler, *Kirchengesch.* Vol. II. P. II. p. 635. not. mm. — Subinde adeo inflammabantur nonnulli, ut bellum Papae indicere et reformationem quandam armis incipere vellent: quod tentarunt *Fratres Apostolici* anno 1304 in Italiâ superiore, cuius sectae duo fanatici auctores fuerunt, Segarellus Parmensis et Dulcinus. Gieseler. ibid. p. 637.

[3] Documento sit initio saec. XIV Philippus Pulcer, rex Franciae. Jam dudum acriter cum Papis certaverant Impera-

Nec vero minus, dum in Ecclesiâ morum corruptela ingravescebat, vitia adaugebantur, et abusus exsistebant plures, multi aderant, qui vehementer ista reprehenderent melioraque viderent.

In his poëtae, Romanenses dicti, qui floruerunt saeculo XII et XIII, non unice pulcras puellas vel heroës lyrâ celebrandos sumebant, verum etiam Papae tyrannidem, injustitiam, avaritiam, atque perditos clericorum mores, carminibus suis exagitabant ratione satiricâ [1]. Prodibant subinde viri et mulieres, divino qui se afflatos numine putantes, et sacrorum reformationem necessariam habentes, futuram Ecclesiae ruinam atque religionis puriorem beatioremque aetatem, auspice Spiritu Sancto, instare vaticinabantur. Hunc fere in modum vaticinata est saeculo XII medio sancta Hildegardis, Abbatissa monasterii in monte Rupperti prope oppidum Bingen, in Archiepiscopatu Moguntiaco, et ab anno 1175, Joachimus, Abbas Calabricus [2]. Qui-

---

tores Germanici de potestate supremâ; nunc autem fortius etiam restiterunt istorum dominandi libidini. In Angliâ quoque post mortem Eduardi I († 1307), Reges et Nobiles strenue occurrere studuerunt consiliis Pontificum Romanorum. Cf. C. F. Stäudlin, *Allgem. Kirchengesch. von Grosbrit.* Gött. 1819. Vol. I. p. 256 sqq.

1 Ejusmodi Satirae (*Sirventes*) permultae componebantur, et vim habebant gravissimam in opiniones populi. Quocirca recte dixisse videtur Capefigius: *Les Chants des Troubadours étaient populaires; ils se récitaient dans les châteaux, au milieu des cités, et le peuple devait y puiser une licence de propos et de pensée en opposition avec les doctrines orthodoxes. Hist. de Philippe-Auguste.* Brux. 1830. Vol. III. p. 115.

2 Cf. Mosheim, *Hist. Eccl.* versio Belgica cum Adnotat. Archibaldi Maclaine. Vol. IV. p. 335; V. p. 117 sqq. 159, 230 sqq. — Gieseler. Vol. II. P. II. p. 357.

bus excitati vaticiniis Franciscani Spirituales s. Zelatores certissime exspectabant saeculum Spiritus Sancti. Apocalypsis Johannea accommodabatur frequenter isto aevo ad perversam Ecclesiae rationem. Neque defuerunt etiam, qui, morum universe depravationem advertentes, populum in concionibus sacris ad poenitentiam adhortarentur [1].

Apud gregem vero haereticorum, qui saeculo XII et XIII per totam fere Europam Latinam dispersi habebantur, non querimonias tantum de miserrimâ Ecclesiae conditione reperimus, verum etiam studia quaedam reformandae doctrinae, quae in Ecclesiâ erat recepta; a quâ quum in multis recederent, e gremio suo dimittebat eos Sancta Mater, eosque dirissime saepenumero vexabat, ut ad fidem Romano-catholicam ipsos reduceret. Per multas autem diffusi regiones, et spargentes inter populum placita sua, Ecclesiam Romanam valde sollicitarunt.

Attamen non omnes, qui illis temporibus in Ecclesiâ Latinâ exstiterunt, haeretici, eâdem fuere sentiendi ratione, neque morum se aeque commendarunt honestate iisdemque ducti sunt studiis. Reperiebantur apud nonnullos placita quaedam Orientalia, mixta cum Occidentalibus, partim obsoletis, partim novis: quod affirmandum videtur de illis haereticis, qui magno numero in Italiâ superiore et Galliâ meridionali habebantur, cogniti vulgo nomine sive Catharorum, sive

[1] Fulco, sacerdos ruralis in Episcopatu Parisiensi († 1202), et Bertholdus, ordinis fratrum minorum Ratisbonae († 1272), tanquam ejusmodi oratores sacri cogniti sunt.

Paterinorum, sive Publicanorum, seu denique Albigensium [1]. Videtur quippe haud esse improbabilis eorum sententia, qui putant, Paulicianos, sectam, quae exstiterat in Ecclesia Orientali et sacra ibi reformare qualicunque tandem ratione, studuerat, opportunitate quâ colonia eorum ad finem saeculi X deducta erat in Bulgariam, circa urbem Philippopolin, (ubi longissimum Pauliciani superfuerunt tempus), hinc Italiam et Galliam versus se propagasse, seque confudisse cum Manichaeorum Occidentalium propagine, quae diu illic superstes fuisse videtur [2]. Quo factum fortasse est, ut ejusmodi haeretici, quales in plagis meridionalibus Galliae inve-

---

1 Illis haereticis abundabant saec. XII imprimis Galliae provinciae *Occitania* et *Provincia*: de quibus regionibus accurate scribens Capefigius, ait: *Dans la campagne, chez les bourgeois, et même parmi chez les nobles, la foi Catholique n'avait pas conservé toute sa pureté et son orthodoxie, et les hérésies du XII Siècle trouvèrent d'anciens souvenirs, qui, avec le caractère national, favorisèrent leur propagation.* Vid. Vol. III. p. 115 — 127. In Germaniam quoque multi ex hac sectâ se diffuderunt.

2 Historia Paulicianorum haurienda est ex Photio, ejusque aequali Petro Siculo (saec. IX). Vid. Gibbon, cap. 54. — Gieseler. Vol. II. P. I. p. 12, 352; P. II. p. 658. — Baumgarten-Crusius, *Christl. Dogmengesch.* Vol. I. p. 397 sqq. Occurrunt in doctrinâ eorum, vestigia Gnosticismi Syriaci et Manichaeismi, quanquam Manetis philosophemata ipsi improbasse videantur: Dualismum certe professi sunt. Vetus testamentum rejiciebant, omniaque scripta spuria, primis temporibus inter Christianos dispersa. Evangelia vero, praesertim scripta Paulina studiose legebant: quos quidem legere libros sacros omnibus licitum esse contendebant, quod hoc aevo jam denegari coepit laicis in Ecclesia Graeca, uti patet ex loco Petri Siculi *Hist. Manichaeorum*, laudato a Gibbono, cap. 54, pag. 30. not. 2. Memoriam eos, licet suo more, repetere studuisse praeteriti illius temporis, quod tanquam aurea religionis Chris-

niebantur, dicti quoque subinde sint Bulgares s. Burgari, a regione, in quâ morabantur permulti Pauliciani. Uti vero Pauliciani Ecclesiam *Graecam*, ita Albigenses *Latinam* aversati sunt. Communi hocce nomine haeretici in orbe Occidentali saepius audiebant: sunt autem ab Albigensibus rite distinguendi Valdenses, de quibus mox videbimus [1]. Albigensium quidem et ascetica et placita de duobus principiis, de Mosaismo, alia, Orientalem quandam redolent doctrinam [2]. Caute tamen in explorandis ejusmodi vestigiis versandum est: namque adversarii haereticos odioso Manichaeorum nomine haud raro leviter indicarunt.

Prodibant quoque hocce aevo (XII), in Galliâ meridionali et Italiâ, subinde viri, qui, ceteris audaciores, sua palam divulgabant placita, multosque ex plebe sibi devinciebant. Ex his famosi fuerunt Petrus de Bruis, presbyter ex provinciâ Occitaniâ, ejusque socius facundus Henricus, a quibus Petrobrusiani et Henriciani nomen habuerunt. Damnabant autem illi vehementer Cleri morum perversitatem, multaque in cultu sacro superstitiosa: plura etiam improbabant dogmata ab Ecclesiâ sancita [3]. Prouti vero hi doctrinam et cultum sacrum emendare conabantur, ita Hierarchiam Romanam

---

tianae aetas saepius celebratum est, ex magnâ, qua beatum Paulum prosequebantur, reverentiâ, colligerem. Hinc quoque *Paulicianorum* nominis repetenda origo est.

1 Hac de re egit P. Jas in disp. *de Valdensium secta ab Albigensibus bene distinguenda.* Lugd. Bat. 1834.

2 Cf. Baumgarten-Crusius. Vol. I, p. 480 sq. — Gieseler. Vol. II. P. I. p. 353; P. II. p. 527 sqq.

3 Cf. *Petri Abb. Cluniac. epist. ad Arelatensem, &c. Episcopos adv. Petrobrus. haeret.* in *Bibl. PP. max.* T. XXII. p. 1033 sqq.

potissimum aggrediebatur, et emendare Ecclesiam ad emolumentum societatis civilis studebat Arnoldus, Briscià civitate oriundus. Animadvertens hic studia libertatis, quae tunc in Longobardiâ enasci incipiebant, et improbans Pontificis totiusque Cleri crescentem in res civiles auctoritatem, eorumque avaritiam et vivendi genus lautissimum, exsuscitare tentabat Italos adversus Clerum ejusque principem. Semel jam damnatus, vir libertatis amantissimus tandem audacter plebi Romanae facundiâ, qua pollebat, persuasit de suâ doctrinâ, confirmans orationem Evangelii sententiis eamque illustrans, ut in populo patriae amorem incenderet Brutorum, Gracchorum, et Scipionum immortalium facinorum commemoratione, quae nomina tunc temporis Romae recitari inauditum erat. Plebs sollicitata consurrexit in arma (1143), et petivit ab Innocentio II, ut ab omni se abdicaret potestate in rebus civilibus. Decem circiter annis post exstincta demum seditio fuit, et Arnoldus tanquam haereticus combustus est. Cum cineribus ejus secta simul est dissipata: attamen placita, quae tradiderat, diu vim habuisse videntur. Italiae scilicet conditio politica bene multis ea accepta reddebat. Fortasse semina ejus doctrinae sparsa quoque fuerunt per regiones Transalpinas; nam urbs Turici damnato ei aliquamdiu receptaculum fuerat[1]. Neque in Italia tantum, sed in

[1] Clericus fuit Arnoldus, et theologiae praeceptorem Abaelardum habuisse dicitur. Vir erat integer vitae, quae laus ab adversario ei tribuitur. Sanct. Bernardus in *Epist. ad Episc. Constantiensem*, a°. 1140. — Vid. Gibbon. cap. 69. Gieseler Vol. II. P. II. p. 68 sqq. — H. Francke, *Arnold von Brescia und seine Zeit*. Zürich. 1825.

Europae etiam Occidentalis regionibus interdum sese opposuerunt alii, Ecclesiae doctrinae, regimini, cultui sacro. Initio aevi XII Tanchelinus in Belgio, maxime Antverpiae, sua sparsit placita, quae ad tempus satis efficacia fuisse videntur ad magnam ipsi comparandam sociorum cohortem. Quum vero nobis innotuerit Tanchelinus unice adversariorum testimoniis, plurima sane de moribus eius et doctrinâ admodum dubia sunt atque incerta. Fanatismi tamen suspicione absolvi posse non videtur [1].

Quamvis inter haereticos, illis diebus, sectas alii referrent aliquatenus Orientales, alii conatibus reformandi nimium fere jungerent animi fervorem, atque adeo fanatismum, in his tamen ipsis ea imprimis sunt animadvertenda, quae valuerunt ad excitanda studia meliora, quam quae vulgo habebantur, eaque opposita adversus Ecclesiae cum auctoritatem, tum doctrinam.

---

[1] Vid. de eo, *Epist. Trajectensis Eccl. ad Frid. Archiep. Coloniensem*, in *Udalrici Babenbergensis Codice Epistolari* (*Corp. Hist. medii aevi*, ed. a Jo. Georgio Eccardo. Lips. 1723. Tom. II. p. 289 sqq.). — *Vita S. Norberti Archiep. Magdeb.* cap. XIII, obvia in *Actis Sanctorum*, *Junii.* Tom. I. p. 843 sq. — A Pontificiis fere omnibus vituperatus est Tanchelinus; a ceteris vero scriptoribus aut laudatus, aut fanaticus habitus. Jac. Baselius in numerum eorum inter Belgas, qui reformationem praepararunt, eum adscripsit. *Nederl. Sulpitius*, pag. 158 sq. cf. H. W. Tijdeman, *verh. over den Nederl. Aartsketter uit het begin der twaalfde eeuw*, *Tanchelyn of Tanchelm*, quae commentatio, scripta a°. 1808 inferta est operi: *Bijdragen tot de beoefening en gesch. der Godgel. Wetensch.* 1814. Vol. II. p. 72 — 111. — Glasius, *Gesch. der Chr. Kerk en Godsd. in de Nederl. vóór de Herv.* Leid. 1834. Vol. II. p. 48 sqq.

Incendebantur enim ardore quodam sentiendi agendique libertatis; inque libris sacris, licet in gravissimos ipsi errores lapsi essent, praesidium reperisse passim sibi videbantur suis sententiis.

At vero non omnes sectae atque haeretici, qui in Ecclesiâ Latinâ adfuerunt, ad reformationis prodromos referri possunt. Nam inter sectas, quae exstiterunt, aut magis innotuerunt saeculo XIII, quarumque brevi denuo evanuerunt nonnullae, aliae etiam superfuerunt, invitis quibuscunque vexationibus, diutissime, permulti inveniebantur homines, qui mentis sanitate parum se commendarent et pessimis essent moribus. Ne igitur dicamus de Beguinis et Beghardis, aut Fratribus et Sororibus liberi Spiritus[1], animum potius nunc attendamus ad generosam illam Christianorum familiam, quae post medium saeculum XII prodiit in Europâ meridionali, et merito, ad reformationem viam munivisse, censetur. Sensui religioso, quo hi flagrabant homines, nequaquam satisfacere poterant dogmata in Ecclesiâ sterilia, vel fastus inanis, infinitae caerimoniae, res superstitiosae. Nil inesse his omnibus putabant Valdenses, quo emendaretur homo. Ecclesiam Romanam non esse existimabant Ecclesiam Christi. Hierarchiam idcirco contemserunt, atque reprehenderunt vehementer, clericis divitibus et otiosam degentibus vitam decimas dari, eosque eniti, alter ut altero major esset. Prae-

[1] Cf. Mosheim. Vol. V. p. 151 sqq. p. 221. — Gieseler. Vol. II. P. II. p. 370 sq. p. 626 sqq. — Beguinae et Beghardi arcte juncti fuisse videntur cum Tertiariis Franciscanorum; reperiebantur maxime in Belgio et regionibus Rhenanis.

terea rejecerunt capita quaedam praecipua doctrinae, quae in Ecclesia invaluerat. Assidue legentes libros sacros, quos magnâ ex parte in vernaculam translatos possidebant linguam, Jesu et Apostolorum praecepta divulgare, re factoque observare laudabiliter studebant. Oberrantes multum, annuntiabant et exponebant hominibus Evangelium, ac Codicis sacri usum commendabant valde omnibus. Contendebant enim unicuique licitum esse, tam clericis, quam laicis, legere scripta sacra, et docere effata divina, etiam absque Ecclesiae consensu [1].

Sic, annuntiando simplici ratione Evangelium, nullâ vi vel vehementiâ, sed placide et tranquille operantes, et apud populum cupientes excitare sensum religiosum et moralem, spem fovisse videntur Valdenses, fore ut in occulto cresceret sociorum numerus, atque invalesceret

---

[1] Cujusmodi professi sint Valdenses doctrinam, patet partim ex scriptis adversariorum, qui saec. XII eos oppugnarunt, Bernardi Abbatis Fontis Calidi, Alani de Insulis, tum vero ex monumentis, quae ipsi reliquerunt. Primarium horum esse a pluribus viris doctis censetur poëma, titulo: *La Nobla Leycson* (la noble leçon), dialecto Provinciali, ad finem saec. XII conscriptum, in quo acerbe corrupti clericorum mores reprehenduntur, et vita vere Christiana suadetur. Ejusdem generis cetera Valdensium poëmata esse dicuntur. Cf. F. Diez, *Die Poesie der Troub.* Zwickau. 1826. p. 230. — Gieseler Vol. II. P. II. p. 551 sqq. p. 615 sqq.

Conf. de toto nostro argumento L. Flathe, *Gesch. der Vorläufer der Reform.* Lips. 1835 et 36. 2 Voll. — Operae pretium quoque erit conferre disquisitionem viri Cl. H. J. Royaards: *Over de vestiging en ontwikkeling der nieuw-Europ. volken, tot aan het einde der middel-eeuwen, vooral door het Christend.*, in: *Archief voor kerkel. Gesch., inzond. van Nederl. door N. C. Kist en H. J. Roijaards.* Vol. II.

ejusmodi coetus Christianus, quo instauraretur aliquando Ecclesia Apostolica. Latissime quidem dispersi per Galliam, Italiam, quin etiam per Germaniam, eo alacrius quoque in illis excipiebantur regionibus, eoque majorem exserere poterant vim, quo Ecclesiae Pontificiae ratio jam displicebat in dies pluribus: et excitabantur eorum exemplo et admonitione haud pauci ex laicis ad legendum Codicem sacrum. Hujus rei documentum praebet, saeculo exeunte XII, magna pars laicorum in urbe et dioecesi Metensi, quae gaudebat multis libris sacri Codicis in Gallicam linguam translatis, quos in secretis conventibus studiose perlegere solebat [1]. Propter hoc quoque ingravescens inter laicos studium legendi sacra scripta, concilium Tolosanum anno 1229 hujusmodi tulit decretum: »*Prohibemus etiam, ne libros veteris testamenti aut novi laici permittantur habere: nisi forte psalterium, vel breviarium pro divinis officiis, aut horas b. Mariae aliquis ex devotione habere velit. Sed ne praemissos libros habeant in vulgari translatos, arctissime inhibemus.*" Quod decretum deinceps saepius est repetitum.

---

1 Hac de re scribebat Innocentius III, *ad universos Christianos tam in urbe Metensi quam ejus diocesi constitutos*, a°. 1199. Vid. Opp. l. II. Ep. 141. In Pseudo-Rainerii *Summa* cap. 3. (in *Bibl. PP. max.* XXV. p. 263) haec leguntur: *Tertia causa haeresis est, quia novum et vetus Testamentum vulgariter transtulerunt: et sic docent et discunt. Audivi, et vidi quendam rusticum idiotam, qui Job recitavit de verbo ad verbum, et plures, qui totum novum Testamentum perfecte sciverunt.* Locum citavit Gieselerus Vol. II. P. II. p. 595. not. e.

In hac autem haereticâ pravitate, quam dicunt Pontificii, latius quotidie serpente, non sane connivebat Ecclesia Latina. Initio saeculi XIII, quum admodum numerosi facti erant haeretici in plagis potissimum Galliae meridionalibus, constituit Innocentius III eos exstirpare. Quocirca ejus jussu sacrae veluti expeditiones susceptae sunt contra haereticos, potissimum Albigenses [1], deinde etiam reliquos. Sed neque saevissimis istis persecutionibus, neque horrendâ Inquisitione, quam dioecesani primum Episcopi, tum infandâ atrocitate Dominicani monachi exercuerunt, effectum est, ut haereses evanescerent: licet haereticorum numerus diminueretur in Galliâ meridionali, tamen illorum placita, Ecclesiae perquam noxia, longe lateque diffusa sunt per alias Europae regiones, ulteriusque his ipsis obstaculis, quanquam nunc magis clandestino, sunt proseminata. Per totam fere Europam Latinam variae tunc sectae et haeretici dispersi fuere, per Italiam, Galliam, Belgium, regiones Germaniae Cisrhenanas, quin Bosniam versus et Hispaniam septentrionalem [2]. Valdensium saeculo XIV multitudo in vallibus maxime Pedemontanis, quo se receperant, tanta adhuc erat, ut anno 1370 coloniam mitterent in Calabriam, quae perdiu illic floruit.

Quid igitur de Ecclesiae Pontificiae conditione sub finem saeculi XII sit judicandum, facile, ni fallor, nunc per-

---

1 Capefigius Op. laud. Vol. III. cap. 19 et sqq. Vol. IV. cap. 27 et 32 uberrime egit de istis expeditionibus contra Albigenses.

2 Vid. Gieseler. Vol. II. P. II. p. 591—626; P. III. p. 265.

spicitur. Ipsa quidem dominari ubivis studebat atque vindicare auctoritatem suam famamque, sed hac ipsâ dominandi libidine, quae tyrannica fere erat, et abusibus vitiisque, quae in ipsam irrepserant permulta, odium sibi pepererat gravissimum. Oppositi Ecclesiae erant in variis regionibus bene multi, alia atque ipsa sentientes, quique fidem Romano-catholicam oppugnabant. Frangere quidem vi et rigore audaciam horum conabatur illa, sed frustra. Hominum corpora concremare potuit, meliora vero, quae excitata erant per haereticos, studia exstinguere non potuit. Videmus igitur illis temporibus commotionem quandam in orbe Christiano, quae laetiorem aliquando aetatem religioni praesagire videbatur: lucem quandam in mediâ caligine, quae Ecclesiae erat offusa, obortam in Europâ meridionali, Italiâ, et Galliâ, atque se diffundentem Occidentem versus.

Sed vel sic tamen ne existimemus, horum virorum harumque familiarum conatibus fractam jam fuisse Ecclesiam Latinam et paene dissolutam. Quantis contra viribus, quantoque robore valeret etiam tunc Ecclesia Pontificia, hinc colligere possumus, quod ipsa ex certamine cum haereticorum copiis superior evasit, et, invitis quibuscunque impedimentis, motibus, turbisque gravissimis, per duo etiam saecula dominata in Europâ est. Aliis, iisque efficacioribus, opus erat studiis et conaminibus ad evertenda Hierarchiae fundamenta, et instauranda, cum doctrinam, tum sacra Christiana. Neque defuerunt illa.

Etenim saeculo XIV in Europa Occidentali refor-

mandi studia alebantur efficacius. Valuit eo imprimis Anglia, quae huc usque haereseos, quae publice innotesceret, paene immunis fuisse videtur. Exiguum tantum superiore aevo habuit ea commercium cum haereticis, quos in continente Europae se opposuisse Ecclesiae vidimus. Nam, qui saeculo XII medio, regnante Henrico II, advenerant in Angliam, Cathari s. Albigenses, duce quodam Gerardo, nationis et linguae Teutonicae, a quo Gerardini vocabantur, *et* pauci fuere numero, *et* nullam propemodum vim exseruisse videntur. Novas de sacramentis opiniones sparsisse dicuntur, miramque prae se tulisse sanctimoniam. Coram concilio Episcoporum Oxonii examinati et haereseos comperti, frontibus candenti ferro notatis, regno expellebantur [1]. Fieri quidem potuit, ut placita quaedam, sive Albigensium, sive Valdensium, etiam in Angliam clanculum fuerint proseminata: ex Galliâ enim haeresis facile proserpere poterat in Britanniae insulam; sed tamen haeretici illic paucissimi prodierant [2].

---

[1] Vid. Thomae Walsinghami *Hypodigma Neustriae*, in Guil. Camdeni *Scriptt. rerum Angl.* Francof. 1603. f°. p. 446. sq. — Antonius à Wood, *Hist. et Antiqq. Univ. Oxon.* lib. I. p. 54. (Oxon. 1674. f°.) — Gieseler. Vol. II. P. II. p. 537. — Praeterea narrat Henricus de Knyghton, sub regno Johannis regis, Albigenses haereticos venisse in Angliam, et eorum nonnullos vivos esse combustos. *Chron. de Event. Angl.*, in Rogeri Twysdeni *scriptt. X. hist. Angl.* Lond. 1652 f°. p. 2418. De hoc vero dubitari licet: alibi enim de hac adversus haereticos saevitiâ, in Anglia huc usque incognitâ, mentio facta non est.

[2] Animadvertendum est, quod testatus est Robertus Vaughanus, non nisi in scriptis quibusdam, quae postremâ vitae aetate composuit Wicliffus, aliquam mentionem factam esse de Val-

Latuisse vero nonnullos in ipsâ Angliâ, qui sacrorum desiderarent rationem meliorem, hoc admodum probabiliter effici videtur ex eo, quod multos palam reformationi studentes videmus, a quo inde tempore illic prodierat vir, in ceteris, quos tulit Europa, reformationis prodromis, haud exiguo sane loco habendus, *Johannem* dico *Wicliffum*. Hic enim consiliis, scriptis et sermonibus, commendans emendationem morum totius Cleri, regiminis et doctrinae Ecclesiae cultusque sacri, tum vel maxime ea propugnans studia, quibus religio Christiana tandem instaurata est, vim exseruit in populares suos gravissimam. Neque in Anglia tantum vim habuerunt ejus placita, quae propagata illic sunt ab ejus sociis et discipulis, qui vulgo *Lollardi* dicuntur [1], verum alibi etiam, maxime in Bohemia.

---

densibus, eamque valde imperfectam et fere obscuram. Sic de iis locutus esse videtur, ut existimaret eos pios homines, qui multum passi essent ab injustitiâ et tyrannide pontificiâ. Vid. *The Life and Opinions of John de Wycliffe D. D., illustrated principally from his unpublished manuscripts.* Lond. 1831. Ed. 2. Vol. II. p. 330. Flathius nimiam statuisse videtur vim, quam in Angliam habuerit Valdensium doctrina. Op. laud. Vol. II. p. 162 sqq.

1 Vox *Lollhard*, s. *Lulhard*, *Lollert*, *Lullert*, composita est ex verbo obsoleto Teutonico, *lullen*, *lollen*, *lallen*, i. e. *submissâ voce canere*, et terminatione: *hard*, in quâ desinunt multa vocabula vetera Teutonica. *Lollhard* is igitur universe dicebatur, qui submissâ voce cantilenas cantitabat: deinde speciatim, qui sacram canere amabat cantilenam in Dei honorem; prouti etiam *Beghard* (*beggen* significat *aliquid enixe rogare*) is praecipue dicebatur, qui ferventes ad Deum preces frequenter fundebat. Adeo hae voces permutabantur, ut ille, qui insignem prae se ferebat pietatem, sive *Beghard*, sive *Lollhard* vocaretur. Jam vero illud *Lollardorum* nomen a plebe

Age nunc, datâ operâ, inquiramus in viri illius eximii *vitam*, *ingenium*, *scripta*: ex qua disquisitione percipiemus, quid in Anglia saeculo XIV praestitum fuerit ad praeparandam reformationem.

---

datum est imprimis iis viris et mulierculis, qui initio saec. XIV Antverpiae primum exstiterunt, seque congregaverunt ad curandos aegrotos et moribundos, maxime pestilentiâ tactos, quibus officia caritatis praestare turpiter illis diebus saepenumero recusabant clerici et fratres Mendicantes: et hanc quidem ob causam *Lollardos* eos vocabat plebs, quoniam, curam gerentes quoque rerum funebrium, imprimis si qui pestilentiâ mortui essent, funera comitari solebant, cantus lugubres cantantes. Proprie audiebant *Fratres et Sorores Cellitae*, a cellulis, in quibus degebant, sive *Alexiani*, a patrono suo tutelari, Sancto Alexio. Reperiebantur in Flandriâ, in Germaniâ, in urbe etiam Rheno-Trajectinâ, ubi platea, quae etiamnunc dicitur *Lollestraat*, nomen ab iis habet, quia multi ejusmodi homines ibi olim habitarunt. Quum vero sacerdotes et monachi invidiose efficere studerent, ut simplices isti homines, per quos imminuebatur ipsorum apud populum dignitas, in odium venirent Pontifici Romano, eosque quum accusarent flagitiorum et haereseos, tunc *Lollardorum* nomen contumeliosi quid sonare coepit, et datum est non sectae peculiari, sed communiter omnibus, quos, speciem quidem insignis sanctimoniae prae se ferentes, ejusmodi reapse fovere placita, quae Ecclesiae Romanae valde essent perniciosa, suspicarentur Pontificii. Vid. Mosheim. Vol. V. p. 324. not. u. — Sic factum est, ut in Anglia Wicliffitae quoque, s. discipuli et socii Wicliffi, haeretico *Lollardorum* nomine appellati sint.

# CAPUT I.

**JOHANNIS WICLIFFI INSTITUTIO, STUDIA PHILOSOPHIAE ET THEOLOGIAE SCHOLASTICAE, JURIS CIVILIS ET CANONICI, IMPRIMIS LITERARUM SACRARUM.**

*Ab ineunte aetate ad annum tricesimum secundum.*

Memoriae proditum est, in Angliâ septentrionali, in vico quodam exiguo provinciae Eboracensis, *Wycliffe* dicto, circa sex milliaria ab urbe Richemondiâ, habitasse, inde ab aetate Guilielmi Debellatoris ad initium usque saeculi XVII, familiam quandam honestam, quae ibi possessiones habuerit satis amplas, atque loci parochiae patrona fuerit. Hujus familiae nomen fuit *Wycliffe*, quod, pro illorum temporum ratione, ab isto vico, etiamnunc sic dicto, traxisse videtur. Ex hac oriundum fuisse Johannem Wicliffum,

cujus vitam nunc descripturi sumus, admodum probabile est [1]. Quod enim in Chronico Andreae Ratisbonensis de ejus origine occurrit testimonium, fabulam redolet; est vero ejusmodi: »Fuit autem dictus Joh. Wykleff, temporibus Caroli IV Romanorum Imperatoris, in Anglia magister Universitatis Oxoniensis, et presbyter plebanus cujusdam parochiae Cantuariensis dioecesis, et sicut quidam mihi retulit, natus in Anglia ex patre Judaeo, matre vero Christiana, et vidua, quae, mortuo marito depauperata, de Francia venit in Angliam" [2].

Natus est Johannes Wicliffus anno circiter 1324 [3]. Fata pueritiae ejus et juvenilis aetatis ad vitae annum decimum septimum nos latent. Hanc sane doleo ig-

---

1 De loco et familiâ, unde originem duxerit Wicliffus, multa legi possunt apud Vaughanum, Op. laud. Vol. I. p. 230 sqq. qui hac de re accurate disputavit, et dubitationem, quae injici possit, quod Wicliffi nomen non occurrit in monumentis illius familiae adhuc servatis, cujus mentionem feci, ita sustulit, ut calculum sententiae ejus facile adjiciam. Exstat *Testamentum Domini Roberti Wyclyf, quondam Rectoris de Rudby*, cujus exemplum dedit Vaughanus in App. Vol. I. N°. 1. conscriptum anno 1423: unde patet hunc e familiâ Wicliffianâ virum non recessisse a fide Ecclesiae Pontificiae. — Quod attinet ad viri nomen, varie scriptum fuisse video, *Wiclif*, *Wyclyf*, *Wycliffe*, *Wycklef*; viginti modis, paululum diversis, scriptum inveniri, ait Vaughanus, qui *John de Wycliffe* scribere amat, quandoquidem in antiquissimis documentis sic fere invenerit. Latine igitur *Wicliffus* scripsi.

2 In *Corp. Hist. medii aevi* ed. a Io. Georgio Eccardo Tom I. p. 2142. Fuit Andreas ille presbyter Ratisbonensis, ex ordine canonicorum regularium S. Augustini. Scripsit *Chronicon generale* a Christo nato usque ad 1422, quod a Joh. Chraftio, Praedicatore Cambensi, interpolatum et continuatum est ad 1490.

3 In indicando anno natali consentiunt primarii vitae ejus scriptores.

norantiam: nam in viri eximii describendâ vitâ, juvenilem ejus aetatem novisse, magno semper in lucro ponendum est. Hac nimirum aetate tener animus iis principiis imbui solet, quae summam deinceps vim in omnem fere vitam exserunt. Verisimile tamen est, Wicliffum, Clero, ut videtur, a parentibus destinatum, primam obtinuisse institutionem in ejusmodi scholâ, sive vicinâ loco natali, sive alibi, quales ab aetate inde Alfredi Magni, ad erudiendos potissimum futuros clericos, invaluerant in Anglia bene multae. Hae autem scholae non ad monasteria solum pertinebant, verum in urbibus et nonnullis etiam oppidis hoc tempore reperiebantur [1]. In iis institutio absolvebatur *trivio* et *quadrivio*, ut loqui solebant, quibus septem continebantur artes liberales: neque tamen hae omnes tradebantur. Discebant tirones maxime artem legendi et scribendi, cantum sacrum, initia religionis Christianae: praeterea rudimenta quaedam rhetoricae et logicae, imprimis grammaticam, ut linguam, quâ omnes utebantur viri eruditi, probe scirent [2].

Ejusmodi igitur fere ratione, uti conjicere licet, praeparatus fuit Wicliffus adolescens, antequam adiit Universitatem Oxoniensem. Ad hanc autem Musarum sedem, annos circiter septemdecim natus, accessit, in qua efficacius se applicaret ad studium disciplinarum,

[1] Vid. Heeren, *Gesch. des Studiums der Class. Litteratur seit d. Wiederaufleben der Wissensch. Einleitung*. p. 212.

[2] Cf. Robertson, *View of the progress of society in Europe*. Sect. I. Hallam, *View of the State of Europe during the middle ages*. Vol. III. p. 521. Ed. 2. Heeren, Op. laud. *Einleitung*.

quibus optimi quique illis temporibus theologi se imbuere solebant. Atque hîc philosophiâ et theologiâ scholasticâ, juris studio, literis imprimis sacris, egregie eruditus, magnam deinceps vitae partem transegit, illud ingressus stadium, in quo summam quidem consequeretur gloriam, sed gravissimas etiam aerumnas experiretur. Et prouti huic Academiae multa debuit, ita, quod gratum profecto erga almam Matrem decebat alumnum, praeclare quoque de eâ meritus est. Quocirca ante quam exploremus paulo interius, quanam ratione Wicliffus illic institutus sit, operae pretium erit ad hujus Universitatis hoc aevo conditionem animum advertere; quae quidem animadversio simul valeat ad nonnullas res illustrandas, quas deinde sumus pertractaturi.

Magnâ sane celebritatis famâ gaudebat Academia Oxoniensis. Uti Bononiam juris studium, Montem Pessulanum et Salernum studium medicinae maxime nobilitabant, ita Lutetia Parisiorum atque Oxonium philosophiae scholasticae et theologiae studio potissimum inclarescebant. Scriptor quidam, superiore aevo, id est XIII florens, inter Scholas Christianas Parisinae primas adjudicans, Oxoniensi secundas deferebat[1]. Ornari haec solebat titulis valde honorificis, atque adeo dicebatur *sol et oculus Angliae.* Confluebant illuc non tantum Angli cives, verum etiam nonnulli ex aliis

[1] Matthaeus Parisius in *Hist. Angl.* sub an. 1257. Floruit sub regno Henrici III, in cujus regis familiaritate ob conspicuam eruditionem versatus est.

populis, Scoti, Hiberni, Galli, nonnullique ex Germaniae regionibus, qui artibus et doctrinis operam navarent [1]. Erat igitur Academia Oxoniensis non domesticum modo institutum, in quo soli indigenae erudirentur, sed habebatur etiam illic *Studium generale*, quod nominant. Si vero eam cum aliis conferas Academiis, quae illis temporibus gaudebant nomine et honore Studii generalis, exempli gratia cum Parisinâ, hac longe inferior illa fuit, concursus ratione habitâ, qui ab Europae populis et regionibus Lutetiam fieret. Cum Parisinâ tamen Universitate arctissima Oxoniensi intercessit consuetudo, ad cujus exemplum haec magnopere conformata fuisse videtur [2]. Quanquam mutuum, quod inter utramque Universitatem saeculo XIII tam frequens fuit, commercium, *ut quicquid uni cognitum esset, alteri repente innotesceret* [3], multum imminutum fuit, quo tempore Oxonii instituebatur Wicliffus; impeditum, ut videtur, bello, hoc aevo Anglos inter et Gallos exorto, atque vario utrinque marte per integrum saeculum et diutius gesto.

Ad illam autem famam, quam diximus, pervenit Schola Oxoniensis [4], postquam in Universitatis modum

---

[1] Vid. Wood, *Hist. et Antiqq. Univ. Oxon.* Lib. I. p. 149.

[2] Wood, op. laud. passim. — [3] Sunt verba Woodii. Lib. I. p. 84. In Universitate Parisinâ, *natio Anglica*, quae tamen Flandros quoque et Germanos continebat, peculiari gaudebat suffragio in Artium facultate. Cf. Bulaei *Hist. Univ. Par.* Vol. III. p. 132 sq. Vol. V. p. 864 sq.

[4] Academiae Oxoniensis incunabula ab Alfredi regis tempore repetunt. Cf. Wood. L. I. p. 1—45. Phantasiae autem nimis indulgens, Universitatem eâ jam aetate Oxonii sibi informasse videtur Woodius, quâ modo artium *scholam* cogitare nos opor-

inolevit. Ex quo enim tempore in hac quoque Scholâ operam dare disciplinae Scholasticorum naviter coeperunt, et ad theologiam atque artes accessit studium juris et civilis et canonici [1], incrementum illa cepit permagnum, ita ut magistrorum et scholarium numerus in dies adaugeretur. Postquam vero initio saeculi XIII liberavit eam rex Johannes a potestate magistratuum urbis, multaque ei concessit privilegia et immunitates, qua in re deinceps imitati eum sunt tam successores, quam Pontifices Romani, Oxonii apparuit demum *Universitas*, quo nomine corpus significatur legum et magistratuum jus habens [2]. Hoc corpus, sive collegium, tanquam civitas erat peculiaris in ipsâ urbe Oxoniensi, constitutionis formam habens aristocraticam, legum ferendarum et magistratuum creandorum potestate penes doctores et

---

tet. — Eduardi regis cognomine Confessoris aetate Scholam Oxoniensem multi adibant. Saec. XII; imprimis sub Henrico II et Richardo I, haec Schola laetissime viguit, in qua ineunte saec. XIII tria jam millia scholarium adfuerunt. Vid. Wood. Lib. I. p. 28. Schola quoque Cantabrigiensis saec. XIII in Universitatem evecta esse videtur. Cf. Hallam. Vol. III. p. 527.

1 Anno 1149, regnante rege Stephano, Vacarius, natione Longobardus exque scholâ Irnerii prodiens, Oxonii scholam juris Romani aperuit, et Pandectas exposuit. Cf. Wood. Lib. I. p. 52. v. Savigny, *Gesch. d. Röm. Rechts im Mittelalter*. Vol. IV. p. 348 sqq. Simulac Gratianus anno 1150 *Codicem Decretorum*, s. *Concordiam discordantium Canonum* Bononiae scripserat, juris canonici studium, quamvis jam antea tanquam pars disciplinae theologicae a clericis tractatum esset, adjungebatur studio juris civilis cum Bononiae et Parisiis, tum etiam Oxonii.

2 Vid. de Universitatis notione Clar. Holtii Oratio *de liberalitate majorum nostrorum, quae Academiis instituendis augendisque cognita est.* Traj. ad Rhen. 1836. p. 8.

magistros constitutâ. Hi conveniebant omnes, ubi Universitatis Senatus habebatur. Cogebantur insuper conventus, qui minus erant frequentes, habiti a solis magistris regentibus, sive professoribus. Praepositus autem erat Universitati Cancellarius, qui, summâ auctoritate dignitateque praeditus, res Academicas moderabatur et amplam exercebat jurisdictionem [1]. Itaque Oxoniensis Universitas libertate utebatur satis magnâ. Neque tamen omnino sui erat juris, quippe quae ab Ecclesiâ pendebat. Pontifices enim Romani, quanquam multis quidem eam donarent privilegiis, simul tamen, prouti dominari ubivis studebant, vim exserere summopere nitebantur in institutum hoc Academicum, quod Ecclesiae esse propugnaculum oportere existimabant [2]. Suos saepenumero legatos illuc mittebant, ac leges nonnunquam ei praescribebant. Vim autem majorem habuerunt Papae in illam Universitatem, ex quo tempore monachi Mendicantes, in Angliam quoque appulsi, cathedras Oxonii obtinuerunt et docere publice coepe-

---

1 Cancellarius tunc creabatur a magistris regentibus et non regentibus, ad biennium, nonnunquam quotannis; optabatur autem ad hanc dignitatem ex Collegio, vel Aulâ quâvis, artium magister, aut facultatis cujuspiam professor. De Cancellarii jurisdictione cf. Wood. Lib. I. p. 170. — Anno 1214 regiâ auctoritate concessum est Universitati Oxoniensi, ut cives Academici ad externa non compellerentur fora, sed ut Cancellarius cognosceret in causis, ubi una pars esset scholaris, seu ejus serviens. Vid. Wood. Lib. I. p. 61. Cf. etiam Meiners, *Gesch. der Entstehung und Entwickelung der hohen Schulen unsers Erdtheils.* Vol. I. p. 264 sqq.

2 Propterea etiam haec Universitas *secunda Ecclesiae schola*, *Ecclesiae fundamentum* adeo, dicebatur. Vid. Matthaeus Paris, sub an. 1257.

runt. Archiepiscopus praeterea Cantuariensis visitatoriam, quae dicebatur, potestatem exercebat in Universitatem Oxoniensem, atque dioecesanam Episcopus Lincolniensis, a quo comprobanda etiam erat Cancellarii cooptatio, a magistris facta [1].

Uti vero Universitas istam Cleri auctoritatem moleste ferebat [2], ita graves ei erant subinde controversiae cum civibus et magistratibus urbis Oxoniensis, quae in horum tamen detrimentum plerumque dirimebantur. Namque Universitas jura sua et privilegia strenue vindicabat. Sed neque ipsa semper pacem intus fovebat: scissum quum esset corpus magistrorum et scholarium saeculo XIII in duas partes, quae Anglorum *Borealium* et *Australium* nomine sejunctae, *Procuratorem* cooptaverant singulae, et Wicliffi adhuc aetate supererant [3].

---

[1] Cf. Wood. L. I. p. 106, 125, 127, 128; L. II. p. 386 sq.

[2] Anno 1368 ab Urbano V impetratum fuit, ut ab Episcopo Linc. haud amplius confirmandus esset novus Cancellarius. Vid. *bulla papalis*, ap. Woodium, L. I. p. 183. Nonnulli scriptores memoriae prodiderunt, Bonifacium VIII, bullâ suâ anno 1301 regum indulta omnia Universitati Oxoniensi confirmantem, simul eam exemisse de Archiepiscopi, Episcoporum et Ordinarii cujusque potestate: hanc vero immunitatis concessionem perperam adscribi Bonifacio VIII. multas ob causas merito arbitratus est Woodius, eamque a Bonifacio IX anno 1389 impetratam fuisse statuit. L. I. p. 146 sq. Attamen post hunc etiam annum, multum hac de re litigatum est Universitatem inter et Archiepiscopum Cant., atque concessio illa intermissa saepius est, donec anno 1479 Sixtus IV *bullam Exemtionis* Bonifacii confirmavit: a quo inde tempore nullus amplius Archiepiscopus visitationem, quam dicunt, Universitatis instituit. Wood. L. I. p. 230—232.

[3] Hae partes aliquatenus cum *nationibus* in Universitate Parisinâ comparari possunt. — *Procuratores* adesse solebant Cancellario una cum *Commissariis*, qui dicebantur, modo

Fuit autem haec scissio exitiosa quieti Academiae: frequenter enim ansam dedit dissidiis et rixis, quin etiam interdum bellis.

Hujus Universitatis rationem lustrantibus, in oculos porro nobis incurrunt *Collegia*, quae, uti in aliis medio aevo Universitatibus, prae ceteris in Parisinâ, ita quoque in Oxoniensi invaluerunt. Haec, quo tempore illic versatus est Wicliffus, jam sex, nisi quid me fallit, numero erant. Antea scholares apud oppidanos, vel in aliquo monasterio, hospitio uti solebant: quod praesertim locum habuit in monasterio Frideswydensi et Osnejensi, ubi tamen libere degebant, nullis adstricti votis. Hic vero mos in desuetudinem fere abiit, quum post saeculum XIII medium condi coepta erant Collegia, aedificia magnifice exstructa [1], sive regum munificentiâ, sive clericorum pietate, sive denique nobilium liberalitate ambitioneve, in quae certus numerus scholarium cum Praeposito recipiebatur, qui alebantur pecuniis, a fundatoribus atque benefactoribus donatis [2].

---

paucioribus, modo pluribus, prout opus erat. Cf. Wood, passim. Meiners, Vol. III. p. 68 sq.

1 *Quod urbem attinet*, inquit Woodius, — *speciosa admodum et pulchra spectantibus, Collegiis tanquam gemmis interstincta.* Lib. II. p. 54.

2 *In progress of time* (ait scriptor quidam anonymus) *so enamoured of this scheme were several persons, that when they died, they left their estates to found little Universities, under the great University, called Colleges, and to support an head and a certain number of fellows. These several Colleges or private societies make up collectively the publick University, and the heads and governors of these Colleges are also the governors and directors of the University.* Terrae filius, *the secret History of Oxford.* 1754. I. p. 67. Cf. etiam de hoc instituti genere Meinersius.

In hisce Collegiis hospitio etiam fruebantur magistri quidam et doctores, quos Praepositi socios appellabant. Aderant quoque scholares pauperiores, qui reliquis servirent. Collegii Praepositum optabant vulgo socii, quem tamen visitatori ad confirmandum proponerent. Visitatores autem dicebantur ii, qui Collegiorum statum perquirebant; et hoc jure gaudebant conditores ipsi, vel alii, ad quos hi illud jus detulerant, sive ad summum quendam clericum, sive ad aliquem ex suis nepotibus. Caeterum Collegia secundum suas regebantur consuetudines suaque statuta, atque ditissima erant bonis Ecclesiasticis temporisque decursu magis etiam locupletabantur. In iis quidem erudiebantur alumni a magistris et doctoribus, sed insuper publicis intererant lectionibus et disputandi exercitationibus, quae a professoribus, constitutis stipendiis, in variis, quae appellantur, facultatibus habebantur. Praeter Collegia vero reperiebantur Oxonii *Aulae*, quae ab illis paulum differebant: obtinebat nempe in Aulis liberalius quoddam vivendi genus [1]. Referebant autem Collegia magnopere monasteriorum rationem; namque scholares cum magistris, claustris Collegii inclusi, umbraticam fere agebant vitam, et disciplinâ quâdam monachicâ regebantur a Collegii Praeposito. Quam formam Universitatum collegialem mirum non est obtinuisse illis temporibus, quibus monachismus late vim suam exserebat. Uti enim ex monasteriis, imprimis ex Becensi in Normanniâ, prodiit in Academias philosophia, quae et vo-

[1] Vid. Meiners. Vol. I. p. 263.

cabatur et erat reapse *Scholastica*, sic quoque, una cum monachorum eruditione, ex coenobiis vivendi ratio in Universitates aliquatenus translata est [1].

Hanc Universitatem igitur, cujus formam et rationem illo aevo quodammodo describere conati sumus, adiit Wicliffus, ibique receptus est in Collegium, quod *Reginense* nominabatur, septemdecim, ut diximus, circiter annos natus. Occurrit enim nomen ejus adscriptum numero eorum, qui hujus Collegii fuerunt primi alumni [2]. Conditum autem illud est anno 1340, a Roberto de Eglesfield, Philippae uxori regis Eduardi III a sacris domesticis, in usum popularium ex Cumbriâ, unde oriundus erat; licebat tamen ex aliis etiam regionibus nonnullos adolescentes in hoc sodalitium excipere. Decrevit Robertus adsciscere Praepositum cum duodecim sociis, ac sustentare septuaginta scholares tenuioris fortunae: et quia ipsum adhortata est regina, ut opus tam utile aggrederetur, suâque munificentiâ ei praesto fuit, propterea in regi-

---

[1] *Capitula Canonicorum regularium*, quae in Ecclesiâ prius jam invaluerant, et *domus Fratrum clericorum de vitâ communi*, hoc ipso saeculo XIV conditae in Belgio septentrionali, similitudinem quandam habebant cum sodalitiis istis in Universitatibus. Conformata quoque illa erant ad coenobiorum exemplum. — Haec autem Universitatum forma collegialis in plerisque Europae Academiis nunc abolita est: mansit tamen hodieque in Anglia, cum Oxonii, tum Cantabrigiae, atque in Academia Tubingensi etiamnunc Collegium quodpiam, sive Seminarium huic simile invenitur. — Rationis vivendi et institutionis nostro tempore in Academiâ Oxon. pulcra legi potest descriptio in: *Revue Brit. Oct. 1835.* p. 288 sqq. Cf. etiam Rheinwald's *Allg. Repertorium. 1836. Nov.* XV Bd. p. 178 sqq. — [2] Vid. Vaughan. Vol. I. p. 240.

nae honorem *Reginense* Collegium nuncupavit [1]. Hîc vero diu moratus non fuisse videtur; causam ignoramus. Adiit tum Collegium Mertonense, cujus primum scholaris, deinde socius fuit [2]. Pertinebat illud ad vetustissima; conditum nempe anno 1267 a Gualtero de Merton clerico, postea Episcopo facto Roffensi [3]: eratque, sive dotationis magnitudinem, sive viros, qui ex eo jam prodierant, consideres, hoc tempore celebratissimum. Scilicet Collegii hujus fuerunt alumni Johannes Dunsius Scotus, Occamus, aliique viri laudatissimi. Scotus, *doctor* ille *subtilis*, qui Oxonii, Parisiis, et Coloniae Agrippinae docuerat, mortuus quidem ante jam erat († 1308), quam natus erat Wicliffus: Occamus vero, *doctòr singularis et invincibilis*, discipulus Scoti, adhuc vivebat († 1347), etiamsi, dum Oxonii versabatur Wicliffus, jam absens ille esset in Germania apud Ludovicum Bavarum, ab anno inde 1328. Quin et paucis annis ante, quam Wicliffus Collegium Mertonense adiit, Thomas Bradwardinus, ejusdem Collegii aliquando alumnus, theologus clarissimus atque ab aequalibus titulo *doctoris profundi* honoratus, lectiones ibi habuit *de causa Dei adversus Pelagium*, in quo trac-

---

1 Wood. Lib. II. p. 113 sqq. — 2 Vid. Henr. Whartoni *App. ad Hist. Liter. Script. Eccl.* Guil. Cavei. Vol. II. p. 60.

3 Wood. L. II. p. 85 sqq. — In hoc Collegio, quod praeclarum est monumentum architecturae Gothicae, etiamnunc Wicliffi nomen legitur; conspiciuntur duae figurae alatae, tenentes lauream et volumen, in quo, praeter aliorum hujus Collegii olim illustrium sociorum nomina, *Wicliffi* etiam scriptum est. Vid. *The Oxford Univ. and City Guide.* Oxon. 1832. p. 168.

tando argumento strenuum se praestitit doctrinae Augustini defensorem. Valde igitur hujus Collegii fama allexit Wicliffum, laudesque tantorum virorum stimulos ei admoverunt ad incumbendum toto pectore in eas disciplinas, quae summis honoribus et gloriâ illo tempore alebantur.

Idcirco, quum literae antiquae hocce aevo in Universitate quoque Oxoniensi de loco essent detrusae, maxime per philosophiam scholasticam, illas neque Wicliffus excoluisse videtur; quae conjectura, cum scriptis ipsius, tum silentio testimoniorum, quae de doctrinâ ejus prolata sunt, satis fit probabilis. At vero illud vitio ei vertendum non est, sed tempori potius, quo vixit, tribuendum. »Haec aetas, inquit Heerenus, nullum vidit in Britanniâ virum, qui bene de veterum literis meritus est" [1]. Non enim legebantur a viris, qui literati audiebant, veteres poëtae, philosophi, oratores. Mirum propterea non est, linguam Latinam tunc fuisse destitutam puritate suâ, nitore, et elegantiâ, multisque oneratam vocabulis novis, ultimam referentibus barbariem. Quicquid autem ea adhuc indolis suae servaverat, hoc monachi Mendicantes imprimis, theologiae mille nodis implicitae operam impendentes, delebant in garrulis suis, intricatis, et spinosis disputationibus [2]. Linguae igitur Latinae peritus

[1] *Gesch. des Stud.* etc. *Einl.* p. 301.

[2] Cf. Heeren, ibid. p. 238. Wood. L. I. p. 173, qui retulit, Archiepiscopum Cant. subinde visitasse Universitatem Oxon., ut eam purgaret ab ingentibus barbarismis in linguam Latinam irreptis, tanquam ab haereticis circa doctrinam Christianam opinionibus. p. 125, 127.

quidem factus est Wicliffus, ita ut hoc sermone facile disputaverit permultaque scripserit: ejusmodi vero fuit iste sermo, ut ne ferream quidem linguae referret aetatem, sed esset contaminatus omnibus aevi naevis et faece. Quod ad Graecam attinet linguam, hujus tantum non indoctus fuisse videtur: fuit autem, et Oxonii, et Parisiis, vir Graecis eruditus literis, tunc corvo quoque rarior albo [1]. Neque minus rarus erat, qui modice linguam Hebraeam sciret. Nam hanc addiscere perquam erat difficile, quum ipsa gens Judaica, huc illuc dispersa, patriae linguae parum esset gnara [2], atque theologi de veteri Testamento ex Hebraico sermone interpretando fere non cogitarent, prouti nec Graece novum legebant. Utebantur vero versione horum librorum Latinâ; quam Wicliffum quoque consuluisse plerumque, putarem. Fortassis tamen ex con-

---

1 Saec. autem XIII floruerunt in Anglia duumviri, de quibus constat, eos Graecae linguae peritos fuisse, Rogerus Baco et Michaël Scotus; uterque ad literarum antiquarum studium, pro illorum temporum ratione, eximie se applicuit. Cf. Heeren, *Einl.* p. 244.

2 Saec. tamen XII et XIII eruditi quidam Judaei bene meriti sunt de interpretatione veteris Testamenti, sed floruerunt, vel in Gallia meridionali, vel in Hispania, quâ in regione lingua etiam Arabica a monachis Hispanis addiscebatur, etiamsi literarum studio proficuum id fuisse non pateat. Saracenos enim et Judaeos ad fidem Christianam adducere illi voluerunt. Neque tamen prorsus ignota erat Hebraeorum lingua in Anglia: etenim saec. XIII Baco, quem jam nominavi, satis eam calluisse fertur, et saec. XIV initio, Judaeum quendam, ad fidem Christi conversum, Hebraeam linguam Oxonii docuisse, refert Woodius. In Universitate vero Parisinâ reperiebatur hocce aevo theologiae doctor, Nicolaum intelligo Lyranum († 1340), qui et Graece et Hebraice egregie doctus erat.

stitutionibus Papae Clementis V, rem literariam spectantibus, anno 1311 in Synodo Viennae Gallorum factis, aliquis efficeret, ut, cum alibi, tum Oxonii, nunc lingua Graeca et dialecti Orientales florere inceperint; sed reputet is, propterea Pontificem, has linguas a professoribus in Universitatibus doceri, voluisse, ut earum addiscendarum copia esset iis, qui Evangelium populis infidelibus annuntiatum irent Asiaticis et Africanis[1]. Jam vero, quid sit existimandum de harum linguarum studio, facile intelligitur.

In rhetoricam, cujus elementa quaedam in schola jam didicerat, nunc studiosius Wicliffus incumbebat: sed vel sic tamen ejus ratio scribendi, neque perspicuitate, neque elegantiâ, neque aliis orationis dotibus, se magnopere commendavit. Imprimis vero se exercebat in dialecticâ, quae a Scholasticis tunc tractabatur. Haec autem constabat potissimum arte quâdam disputandi subtili, et haud raro sophisticâ, de rebus, tam gravissimis, quam valde futilibus, ad veritatem Aristotelico more, id est syllogistico, demonstrandam. Ista quidem ars valebat ad acuendum ingenium in probandis iis, quae inventa sunt, non vero ad nova in lucem proferenda, vel ad verum indagandum et inveniendum. Quodsi Scholastici veritatem semper demonstrare studuissent, non despexissent permulti deinceps disputandi

---

1 Exstat decretum Clementis in Lib. V. *Clementin.* cap. 1. Id anno 1316 demum publicatum fuisse in Univ. Oxon., jussu Papae Johannis XXII, nonnulli dixerunt. Vid. Wood. Lib. I. p. 156. Ad hoc decretum inductus fuit Clemens, conatibus Raymundi Lullii ad convertendos Mohammedanos.

illam artem: sed *temere posuerunt quaecunque sive vera sive falsa assumere luberet, imo vero falsa ponere, quae demonstrarent, malebant, quo majorem scilicet ingenii laudem, ac gloriam caperent* [1]. Neque etiam colloquebantur et disserebant de rebus, ad quarum scientiam pervenire cuperent, sed certabant, verba adversariorum cavillabantur, rixabantur adeo, quicunque hac dialecticâ in exercitationibus et disputationibus publicis utebantur. Fuit igitur haec Scholasticorum ratio potius ἐριστική quaedam, quam διαλεκτική. In hac autem disputandi arte quanquam Wicliffus exercitatissimus fuit, ita ut quidam aequalis haec de eo testatus sit: »*potens erat et validus in disputationibus super caeteros, et in argumentis nulli credebatur secundus*" [2], tamen ingenii acumini et subtilitati magnum junxit veri studium, quod ex scriptis ejus apparet.

Neque minus assidue Wicliffus se imbuebat philosophiâ scholasticâ, quae hocce aevo per Guilielmum Occamum novum cepit vigorem. Haec philosophia, uti et theologia scholastica, etiamsi enata quidem esse in Angliâ dici nequeat, tamen exculta ibi omni tempore diligentissime est [3]. Multum legebat Wicliffus

---

[1] Sunt verba viri Cl. Heusdii. *Initia Phil. Plat.* Vol. II. P. II. p. 162.

[2] Henr. de Knyghton, in *Chron. de Event. Angl.* p. 2664.

[3] Praestantissimi illi cultores philosophiae et theologiae scholasticae, Halesius, Rogerus Baco, Middletonus, Johannes Dunsius, Occamus, Bradwardinus, Gualterus Burlaeus, Angli fuerunt natione. Inter primos doctrinae scholasticae auctores eminuerunt, ut notum est, Lanfrancus et Anselmus, uterque aliquando Archiepiscopus Cantuariensis. Quocirca merito di-

Aristotelem, cujus sane philosophiae notitiam sibi comparare theologus necesse habebat, quandoquidem in tractandâ theologiâ summa Stagiritae concedebatur auctoritas. Tam studiose autem illius scripta pervolutasse dicitur, ut complures locos graviores memoriâ teneret [1]. Sed non intaminatus ei innotuit Aristoteles: nam hoc tempore, quo, ut diximus, nemo propemodum Graecam linguam Oxonii sciebat, non intelligebatur ille e chartis Graecis, verum e versionibus Latinis, quae adeo vitiosae erant, ut, de sententiâ Rogeri Baconis, qui Aristotelem Graece legit, istae flammis essent tradendae [2]. Erat insuper philosophia Aristotelis commixtá figmentis Neoplatonicis et Cabbalisticis, atque valde infucata a commentatoribus Arabibus, quorum celebratissimi fuerunt Avicenna et Averrhoës.

Quanquam Wicliffus Aristotelem valde admirabatur, nonnunquam tamen Platonem ei anteposuit, prouti passim ex libro I. opusculi ejus, inscripti *Trialogus*, patet. Caeterum philosophiae Platonicae exilem ha-

---

xisse videtur Degerandus: *L'Angleterre semble avoir eu la prérogative de donner à la philosophie, de siècle en siècle, pendant le cours du moyen âge, depuis le vénérable Bède, les penseurs les plus indépendans et les plus originaux. Hist. comparée des Systèmes de Phil.* etc. Vol. IV. p. 589. Ed. 2.

1 Vid. John Lewis, *The Hist. of the Life and Sufferings of John Wicliffe, D. D.* Lond. 1720. p. 2.

2 Vid. apud Gieselerum. Vol. II. P. II. p. 418. not. De Aristotelis versionibus Latinis et commentatoribus Graecis, vel Arabibus, disquisitio prodiit Parisiis 1819, auctore Jordanio: *Recherches critiques sur l'âge et l'origine des traductions latines d'Aristote, et sur des commentaires Grecs ou Arabes employés par des Docteurs Scholastiques.*

buisse videtur notitiam, eamque contractam ex Augustino. Quod quidem mirandum non est. Aristotelis enim scripta medio aevo Platonis dialogos e scholis fere expulerunt, inque Stagiritae logicis, physicis, et metaphysicis toti fuere viri literati et theologi, imprimis monachi Dominicani et Franciscani, qui in Universitatibus, Parisinâ, Oxoniensi, alibi, studiosissime de illâ philosophiâ lectiones publicas habebant. Quantulumcunque e divinâ Platonis philosophiâ libabant Scholastici, id de hujus *Timaeo* potissimum depromere solebant, autumantes, argumentum hujus dialogi aliquatenus proficere ad illustranda ea, quae in theologiâ quaererent [1]. Sic Platoni vindicare studebant doctrinam de tribus personis in naturâ divinâ; quod Phronesis quoque in *Trialogo* Wicliffi professa est: *Deum ergo* (ait) *posuerunt philosophi esse trinum, ut Plato cum caeteris cognovere lumini naturali* [2].

In nobilissimâ quoque illâ quaestione de *universalibus*, quae quidem erat philosophica, sed accommodabatur continuo ad argumenta theologica, quaeque medio aevo diu et vehementer est agitata Nominalistas inter et Realistas, Wicliffus secutus est eorum sentiendi rationem, qui Platonis hac de re sententiam amplecti existimabantur. Contendebant scilicet philo-

---

1 *Timaei* versio Latina, a Chalcidio facta, Scholasticis satis cognita erat. Cf. *Ouvrages inédits d'Abélard pour servir à l'histoire de la Phil. Scol. en France, publiés par* V. Cousin. Par. 1836. Introd. p. XLIX.; App. p. 646 sqq. Wicliffus tamen ex testimoniis Augustini hausisse videtur, quem laudare solet, de Platone loquens. — 2 Lib. I. cap. 6.

sophi Scholastici, utrum *universalia*, notiones universales, quas *ideas* etiam appellabant, *objective* et *realiter* exsistere statuerent, ita ut per se exstarent, seorsum a rebus exsistentibus, et ante eas, tanquam harum exemplaria, (*universalia ante rem*), an, non objective, sed *subjective*, *in animo nostro*, ita ut essent notiones pure abstractae intellectus et signa loquendi, (*universalia post rem*). Illam qui foverent sententiam, quae fuit aliquando Anselmi, *Realistae* nominabantur: hanc vero, quae fuit Roscellini, qui propugnarent, audiebant *Nominalistae*. Realistae autem saeculo XI, quo haec controversia exorta est, Nominalistis superiores fuerunt. Deinde apprime subtiliter de universalibus disputare perrexerunt Scholastici, maxime saeculo XIII Thomas, ex familiâ Neapolitanâ Comitum de Aquinate oriundus, et Johannes Dunsius Scotus, uterque sui ordinis, ille Dominicanorum, hic Franciscanorum, insigne decus et ornamentum. Thomas videtur statuisse, ideas *non objective* exsistere, sed notiones esse abstractas, tanquam *tales* tamen *realitate* donatas, in ipsâ scilicet mente infixas, ita ut haberent *realitatem idealisticam* (*species exsistentes*); propius igitur ad Nominalismum accessit. Scotus vero *objective* quidem exsistere ideas opinatus esse videtur, sed ita, ut eae non nisi *cum* et *in* rebus exsisterent (*universalia in re*); hujus Realismus etiam Formalismus dictus est. At vero, saeculo ineunte XIV, Occamus, Scoti quanquam discipulus, minime tamen in magistri verba jurans, restituit scholam Nominalistarum, sive de suo nomine *Occamistarum* dictam. Doctor ille *singularis* et *in*-

*vincibilis*, *venerabilis inceptor*, uti eum nominare honorifice solebant, propriam quandam, eamque liberam magis a praejudicatis opinionibus viam philosophandi iniisse dicitur, atque insignis fuisse paradoxorum studio [1]. Tunc temporis in Universitatibus, maxime Parisinâ, Oxoniensi, postea Pragensi [2], pugnaciter de principatu certavit denuo Nominalismus cum Realismo. In Universitate Oxoniensi hoc certamen inflammabatur odio gentili; Boreales favebant Scoti Realismo, Australes Nominalismo Occami [3]. Realistae despiciebant Nominalistas, quippe recentioris aetatis philosophos; qua vero in re turpiter errabant, quum Roscellini aetate Nominalismus aliquamdiu viguisset. Hi contra Realistas deridebant, quippe qui nubem pro Junone amplexarentur. Papae autem, Nominalismum noxium Ecclesiae esse arbitrati, patrocinati sunt Realistis, qui triumphum agere ex hoste visi sunt, quo tempore (1339) Artium facultas in Universitate Parisinâ, ubi Johannes Buridanus, Occami discipulus, Nominalistarum partes fortiter tuebatur, damnavit doctrinam Occami [4]. Nihilominus Nominalismum propugnarunt bene multi, sagacitate et eruditione se imprimis commendantes; atque, exeunte hocce saeculo, dum Oxonii adhuc valde oppugnabantur Nominalistae, Lutetiae iidem longe superiores evaserunt.

---

1 Consulatur de Scholasticorum philosophiâ Degerandi opus laud. Vol. IV. cap. 26, 27, 28.

2 Universitas Pragensis medio saeculo XIV condita est.

3 Vid. Wood. Lib. I. sub an. 1343.

4 Vid. Bulaei *Hist. Univ. Par.* Vol. IV. p. 257.

Quatenus Realistarum cum Nominalistis hoc tempore controversiae in Universitate Oxoniensi se immiscuerit Wicliffus, non quidem patet; constat vero, eum in scriptis suis *Realismum* propugnasse, exempli gratia in *Trialogi* libro I, quo de divina natura et ideis egit. Praeter alia permulta philosophica, scripsit quoque librum de *universalibus*, qui liber ab anno 1401 inde fundamentum fuit doctrinae Realistarum in Universitate Pragensi[1]. Memoriae etiam proditum est, convenisse Wicliffo cum Burlaei sentiendi ratione de universalibus, quod scilicet ad *rem* attineret, non vero quod ad *verba*[2]. Fuit ille Burlaeus unus ex discipulis Scoti, cujus doctrinam egregie defendebat[3]. Et, quanquam Wicliffus Realistarum partes sequebatur, Occami tamen scripta studiose legisse fertur[4].

Priusquam jam ad reliqua Wicliffi studia pergamus, obiter convertamus oculos ab Universitate Oxoniensi, in quâ, aeque atque in ceteris Europae Occidentalis Universitatibus, miserrime jacebant literae una cum philosophiâ antiquâ, ad Italiam illam, quae laetiora nobis hocce aevo spectanda praebet. Saeculo scilicet ante, quam Musae, Constantinopoli armorum strepitum effugientes, asylum petiverunt in Marci Tullii patria,

---

[1] Vid. Aeneae Sylvii *Hist. Bohem.* cap. 35. — Lewis, Op. laud. pag. XXII. — H. H. Baber, *Memoirs of the Life, Opinions, and Writings of John Wiclif.* praef. ejusdem Editioni vers. N. T. Wicliffi. Lond. 1810. pag. XXXVIII. — [2] Vid. Baber. ibid. p. XXXVIII. not. — [3] Degerandus. Vol. IV. p. 590.
[4] Henr. Whartonus, in *App. ad Hist. Liter.* Guil. Cavei. Vol. II. p. 60.

hic principes quidam viri, mediâ rerum Italiae perturbatione, exstiterunt, qui admirabili quodam ardore ad literarum antiquarum studium se applicarent, hoc studium suo exemplo commendabant, aliosque permultos, imprimis nobilissimas Italorum familias, eodem incendebant amore. Simul illi, legentes veterum, et philosophorum, et poëtarum, scripta, primi philosophiae antiquae instauratores fuere. Unus ex his, Dantes Alighierius, *Hesiodus Italiae, pater poëseos recentioris*, a Degerando dictus, exstinctus jam erat († 1321), quum natus est Wicliffus: apud suos tamen poësin et patrium sermonem excoluisse hic potius est dicendus, quam commendasse literarum antiquarum studium. Duumviri vero illi, qui suam memoriam immortalem reddiderunt, Petrarcha (1304—1374) et Boccacius (1313—1375), eodem, quo Johannes Wicliffus, floruerunt tempore. Prouti ille *literarum Latinarum*, ita hic *Graecarum* maxime, instaurator fuit. Utriusque hujus praeceptor Barlaämus, monachus Calabricus, literas Graecas summo ardore tractabat, et Leontius Pilatus, Calaber etiam, Florentiae publice Homerum interpretabatur. Joannes Malpighius sive de Ravenna, Petrarchae discipulus, naviter quoque in veteribus versabatur scriptoribus. Jam scripta Ciceronis, Virgilii, Horatii, Senecae, Platonis, Livii, aliorumque, legebantur denuo a literarum amantioribus, codices auctorum veterum undique conquirebantur in Italiam, et transcribebantur: novam veluti vitam degebant viri literati horumque Maecenates. In Academiis, quae in celebrioribus Italiae urbibus, vel jam aderant, vel hoc saeculo condebantur,

literae antiquae magno auditorum plausu docebantur. Florentiae prae caeteris, in qua civitate Academia condita est anno 1348, literae renatae floruerunt. Quantam principes harum instauratores, Petrarcha et Boccacius, vim exseruerint in aequales suos, vel ex hoc colligi licet, quod Robertus, rex Neapolitanus, amico suo Petrarchae dedit, responso: *At ego*, inquit, *juro dulciores et multo cariores mihi litteras esse, quam regnum, et, si alterutro carendum sit, aequanimius me diademate cariturum quam litteris*[1]. Ex hisce igitur cunctis apparet, quam memorabilis fuerit illa aetas, quâ vixit Johannes Wicliffus.

At redeamus nunc ad Universitatem Oxoniensem, ubi Wicliffus naviter quoque incubuit ad studium juris et ecclesiastici et civilis, quod illis temporibus ubivis fere in Universitatibus viguit, multumque tractatum est a clericis, qui opes inde et dignitates sibi pollicebantur[2]. Erat quoque hocce juris utriusque studium valde necessarium theologis. Decebat enim eruditum theologum versatum esse in Codice Gratiani, ut teneret, quid a Conciliis et Pontificibus esset constitutum de rebus ad Ecclesiae spectantibus sive regimen, sive disciplinam, sive doctrinam; sed praeterea, quum in curiis, ubi jurisdictio esset penes Ecclesiasticos, Justiniani auctoritas citaretur, si Gregorii aut Clementis[3] defice-

---

[1] Locum laudavit Heerenus, *Einl.* p. 256. not. 8. — [2] Cf. Hallam. Vol. III. p. 518. — [3] *Decreto Gratiani*, Codici conflato ex antiquioribus Ecclesiae canonibus, Pseudo-Isidori decretalibus, posteriorum conciliorum decretis et legibus, conscriptoque ordine

ret, omnes, quotquot dignitates et munera in Ecclesiâ ambiebant, canonum non tantum et decretorum scientissimos, atque usus Ecclesiastici forensis callentissimos, verum etiam juris Romani peritos esse, oportebat. Cum hujus juris studio etiam conjunxit Wicliffus scientiam legum patriae suae [1]; quarum etsi in Universitate Oxoniensi paene negligeretur studium [2], non tamen oportere ut civis Anglus, qui tam Ecclesiae, quam reipublicae, prodesse cuperet, juris hujus consuetudinarii esset ignarus, merito existimabat ille: addidicit igitur, ne, datâ opportunitate, haesitaret in majorum institutis.

Ad theologiam autem Wicliffus imprimis se applicuisse mihi videtur, cujus disciplinae insitam fere habuit cupiditatem. Neque ad theologiam solum illam, quae in scholis fere unice tractari solebat, conferebat multam operam, sed, quod ad bonum informandum theologum vel maxime valet, ad studium Codicis sacri

---

quodam systematico, altera pars adjuncta est anno 1234, nempe collectio *Decretalium*, id est, responsionum Pontificum ad juris locos incertos et obscuros, titulo: *Decretalium Gregorii P. IX. Libb. V.*, confecta curâ et operâ monachi Dominicani Raymundi de Pennaforti, desiderante Gregorio IX: quae collectio brevi post (1298) *sexto* libro a Bonifacio aucta est. Tunc igitur lectiones habebantur in Universitatibus de utrâque hac Corporis juris canonici parte. Denique Clemens V ultimam addidit anno 1313 authenticam Decretalium collectionem, *Libb. V. Clementinarum*, factam ex constitutionibus ipsius in concilio Viennensi et alibi. Ex illis partibus qui sensim compositus erat, *Codicem juris canonici* multum commentati sunt vario tempore Decretistae, qui audiebant.

1 Lewis. p. 3. — 2 Regnante Henrico III, Westmonasterii prope Londinum condita fuit juris schola, in qua Angli juvenes consuetudinem moresque majorum edocerentur, inque agendis causis exercitarentur. Eduardi III aetate satis illa floruit. Vid. Henry, *The Hist. of Great Britain.* Vol. IV. cap. IV. § 3.

et Patrum Ecclesiae animum potissimum adjungebat. Hocce studio distinguebatur eximie ab aequalibus. Theologi enim Scholastici extra Codicem sacrum magis suâ philosophabantur ratione, quam inde hauriebant divinam veritatem: dogmata religionis dialectices et metaphysices ope exponentes, rationem quandam artemque theologiae tradebant. Qui ejusmodi *summas*, seu *sententias*, quae dicebantur, scribebant, hinc *Sententiarii* nominati sunt: quodsi manum admoverent ad scripta sacra, faciebant id, ut intricata proponerent problemata, quae artificiis et figmentis suis solverent. Theologi vero *Biblici*, sive *Positivi*, qui audiebant, exponebant libros sacros et scripta Patrum Ecclesiae, atque hinc theologiam derivabant. Sed erant hi longe pauciores numero, multoque minus honorati, quam Sententiarii, quod diserte testatus est Rogerus Baco, doctor Oxoniensis. »Baccalaureus, ait, qui legit textum (*scripta sacra*), succumbit lectori sententiarum, et [hic] ubique in omnibus honoratur et praefertur. Nam ille, qui legit sententias, habet principalem horam legendi secundum suam voluntatem, habet et socium et cameram apud religiosos: sed qui legit Bibliam, caret his, et mendicat horam legendi, secundum quod placet lectori sententiarum. Et qui legit summas, disputat ubique, et pro magistro habetur; reliquus, qui textum legit, non potest disputare: sicut fuit hoc anno Bononiae, et in multis aliis locis: quod est absurdum. Manifestum est igitur, quod textus illius facultatis (*theologicae*) subjicitur uni summae magistrali. — Omnis alia Facultas utitur textu

suo solo, et legitur textus in scholis, quod, scito textu, sciuntur omnia, quae pertinent ad Facultatem, propter quam textus sunt facti: et longe majus est, quod textus hic de ore Domini et Sanctorum allatus mundo est, ita magnus, quod vix sufficeret aliquis Lector ad perlegendum eum in tota vita sua"[1]. Quanquam haec de suâ aetate scripsit Baco (✝ 1294), eadem tamen valent de tempore, quo vixit Wicliffus: imo vero res tunc etiam pejus se habuisse videtur[2].

---

1 *Opus majus* Baconis P. II. cap. 4. — Edidit illam commentationum Baconis collectionem ex MS., quod adhuc exstat in Bibl. Univ. Dublinensis, Sam. Jebb. Lond. 1733. f⁰.

2 Io. Gersonius doctor theol. Parisiis ab anno inde 1381, et Nicolaus de Clamengiis, Artista, ejusdemque Universitatis Rector anno 1393, de theologiae biblicae neglectu, non tantum Parisiis, sed universe, gravissimas habuerunt querimonias. Vid. Gersonii *Epist. altera de reform. theologiae*, (a. 1400) Opp. ed. du Pin. I. p. 122. et Nicolai de Clamengiis *Lib. de studio theologiae ad Io. de Pedemontio Baccal. in theol.* in d'Achery *Spicil.* Tom. I. p. 476. Hujus de Scholasticorum studiis theologicis judicium, apponere hic juvat: est enim dignissimum, quod legatur. »....Nunc autem, inquit, plerosque videmus Scholasticos sacrarum inconcussa testimonia litterarum tam tenuis aestimare momenti, ut ratiocinationem ab auctoritate ductam, velut inertem et minime acutam, sibilo ac subsannatione irrideant, quasi sint majoris ponderis, quae phantasia humanae imaginationis adinvenit, quam quae divinitas coelitus aperuit, cum, teste Apostolo, *omnis Scriptura divinitus inspirata utilis sit ad docendum, ad arguendum* etc. (1 Tim. 3, 16): ad quae illa sunt parum utilia, in quibus hodie plurimi exercentur, quae licet intellectum utcumque acuant, nullo tamen igne succendunt affectum, nullo motu excitant, nullo alimento pascunt, sed frigidum, torpentem, aridum relinquunt. Inde est, quod ad praedicandum tardi adeo et ignavi sunt, quia scientiam ad hoc utilem minime didicerunt, supervacuisque occupati, utilia et necessaria omiserunt. Illa est vera scientia, quae

Wicliffus igitur theologiam, quae in scholis dominabatur, pertractans, ducem potissimum secutus esse videtur Petrum Lombardum, cujus *sententiae*, medio aevo, diutissime ἐγχειρίδιον fuere theologorum. Anselmum quoque magni aestimavit, qui quidem proprie fuit primus, qui theologiam cum philosophiâ conjungeret; illam autem conjunctionem sic cogitasse videtur Anselmus, ut philosophiae ope intelligeremus ea, quae fide jam sumus amplexi [1]. Sancti illius Bernardi etiam scripta se legisse, sive hoc tempore, sive postea, Wicliffus in suis scriptis probavit; et multos praeterea alios medii aevi scriptores. At, licet ita quidem se imbueret doctrinâ Scholasticorum aliorumque, placebat tamen ei multo magis theologia, quae dicebatur, Biblica; ideoque antiquiores studiose legebat scriptores, ex Patribus Latinis maxime Augustinum, qui plurimum valebat auctoritate apud Ecclesiam, tum etiam Hieronymum, Ambrosium, Gregorium, quos frequenter memoravit. Unde vero germana demum theologia emanat, ipsum Codicem sacrum imprimis adire solebat: neque tantum hos libros legebat, verum intente in eos inquirebat, ita ut, post studium assiduum, perquam meditate eos teneret. Hinc igitur factum est, prouti omnes, quotquot illis temporibus in philosophiâ et theologiâ eminerent, *doctoris*, sive *seraphici*, sive *invincibilis*, sive *profundi*, vel

---

theologum decet, quamque omnis debet theologus expetere, quae non modo intellectum instruat, sed infundat simul atque imbuat affectum."

[1] *Neque enim quaero intelligere*, ait, *ut credam*, *sed credo*, *ut intelligam*. *Proslogion.* cap. I. in fine.

quocunque alio mirabili agnomine, celebrari solebant ab aequalibus, ut Johannes Wicliffus titulo magis honorifico *Doctoris Euangelici* postea ornatus fuerit [1]. Hoc literarum sacrarum studio excultum imprimis est viri ingenium, huic studio omnem fere impendit aetatem, hisce tractandis literis vel maxime excelluit. Scripta ejus produnt quidem theologum, obscurâ disciplinâ scholasticâ eruditum, simul vero ob oculos ponunt ejusmodi theologum, qui, quantum isto aevo fieri potuit, doctrinam Christianam animo imbiberat intimoque perceperat pectore.

Informatus quoque fuisse videtur Wicliffus lectione et meditatione operum popularis sui Roberti Grostesti, qui aevo superiore floruerat. Mentionem de hoc viro laudatissimo passim injecit in *Trialogo* suo. Quum vir fuisset doctrinae copiâ, animi pietate, justique sensu antecellens, *in promovendis literis indefessus, animoque erga Universitatem Oxoniensem, ut qui maxime, propenso* [2], nomen ejus immortalitati commendatum erat. Libri ejus, quos de theologiâ praecipue multos conscripsit, magno etiam tunc ab Oxoniensibus habebantur pretio [3]. Wicliffus autem imprimis ex iis

---

1 Sic v. c. appellatus est in libello, quem Lollardi tradiderunt Parliamento Angliae, habito anno 1394. Exstat hoc documentum apud Lewisium, p. 298 sqq.— 2 Sunt verba Woodii.

3 Scripta Grostesti partim typis sunt mandata: plurima tamen adhuc in Angliae Bibll. latere feruntur. Inter edita sunt etiam *Sermones*, in quibus vehementer reprehendit clericorum vitia. Vid. de ejus operibus Io. Balei *Scriptt. illustr. maj. Brytanniae Catalogus.* Cent. 4. p. 304 sq. (Basileae, 1557). Guil. Cavei *Scriptt. Eccles. Hist. Liter.* Vol. II. p. 295.

proficiebat, atque sibi proponebat, ut mihi videtur, saepenumero viri illius memoriam, quippe quocum, licet longo temporis intervallo ab ipso distaret, tamen animi quadam cognatione conjunctus erat. Quocirca paucis videamus, qualis ille fuerit. Parentibus obscuris in provincia Suffolciae anno 1185 natus, Grostestus[1] primum Oxonii, deinde Parisiis in artes et literas incubuit. Erudiebatur Latinis literis, Graecis et Hebraeis: quin Gallicum etiam discebat sermonem[2]. Disciplinis mathematicis naviter dabat operam; quapropter aevo isto, superstitione et tenebris oppresso, magiae suspicionem subiit. Theologiam autem imprimis tractabat. Redux Oxonium, suscepto doctoratu, scriptis et lectionibus magnam sibi apud populares et exteros conquisivit nominis celebritatem. Summâ veneratione prosequens libros sacros, commendabat imprimis lectiones de hisce habendas, in memorabili epistolâ, anno 1240 perscriptâ, ad magistros regentes Oxonii: etenim hi libri erant de ejus sententiâ »*lapides fundamentales aedificii, cujus illi erant architectonici*" [3]. Hanc scripsit epistolam, dum erat Episcopus Lincolniensis, quâ dignitate anno 1235 ornatus vim in Universitatem exserere potuit sa-

---

1 De ejus nomine multum variant auctores, Latino et Anglico sermone scribentes, sive *Rob. Grossum Caput, Capito, Grossa testa* (tête), sive *Grostest, Grosthead, Greathead; Lincolniensis* autem *Episcopi* nomine plurimum occurrit.

2 Ex Graecis Hebraeisque fontibus complura elicuit et exposuit. Testamentum XII Patriarcharum e Graeco Latine vertit, uti et opera Dionysii Areopagitae, quae commentariis illustravit. Gallice scripsit librum, cui titulus: *le chaste Amour.*

3 Exstat haec epist. ap. Woodium, Lib. I. p. 91 sq.

tis magnam. Quum ignorantiam, dissolutionem, et languorem clericorum sui Episcopatus, maxime ordinis monachici antiquioris, augeri in dies magis animadverteret, pròbabat valde institutum fratrum Mendicantium, qui hoc ipso aevo in Angliam quoque admissi erant, horumque studiis acclamabat. Eosdem vero mox opes magnas, in gratiam Papae Romani, conquirentes videns per dioecesin Lincolniensem et totum regnum Angliae, animum mutabat Grostestus. Ab hoc inde tempore perspicere coepit monachorum Mendicantium vitia et perversa studia [1]; ac fortiter se opposuit depravatae rationi Ecclesiae, cujus injustitiam et dominandi libidinem vehementius etiam abominatus est, postquam aliquando ipsum adire Papam, Lugduni hoc tempore commorantem, coactus fuit. Occupatus autem in colendis religiosissime officiis suis et reformandis clericorum, maxime monachorum, moribus, anno 1253 mandatum accipiebat ab Innocentio IV, injungente ipsi, ut sub poenâ excommunicationis admitteret Italum juvenem (Papae consanguineum), in quem contulerat Innocentius canonicatum cum proximâ praebendâ vacaturâ in Lincolniensi Ecclesiâ. Tantum abusum praerogativae

---

1 Acerbe de fratribus Mendicantibus scripsisse Grostestum, testatur Wicliffus in *Trial.* Lib. IV. c. 26. *Ponit autem Lincolniensis in quodam sermone, quod generaliter claustrales privati ordinis, sed specialiter frater, est cadaver mortuum de sepulchro egressum, pannis funebribus involutum, a diabolo inter homines agitatum. Est (inquit) cadaver mortuum, quia, licet vitâ validâ corporali, tamen est mortuus animâ, quod est plus et verius mors, quam mors hominis corporalis, juxta illud 1 Tim. V. etc.*

papalis *provisionis*, quae dicitur, ferre non poterat pius Episcopus. Rescripsit igitur Innocentio epistolam *satis tonantem*, ut dicit Knyghtonus, in qua corripiebat Papae tyrannidem, et fatebatur, se pie et reverenter velle observare mandata quidem *Apostolica*, sed, ob hanc ipsam mentem, se nunc esse coactum ad non obediendum petitioni papali [1]. Innocentius de ejusmodi epistolâ iratus, multaque arroganter locutus coram Cardinalibus, anathemate Grostestum minitabatur. Hi, ut parceret viro, vitae integritatis non minus, quam doctrinae, laudem promerenti, suadebant: sed frustra. Grostestus excommunicatus appellasse dicitur a curiâ Innocentii ad tribunal Jesu Christi [2]; atque nihilominus Episcopi dignitatem conservavit ad vitae finem, qui hujus ipsius anni die 9 Octobris obtinebat. Persuaserat sibi Grostestus magis magisque senili aetate de corruptelâ Ecclesiae et vitiis fratrum Mendicantium, et solitus erat Papam cognomine Antichristi inter familiares notare. Quodsi maturius ista vitia coepisset perspicere, unus in paucis profecto patriae et Ecclesiae Anglicanae saluti eximie prospexisset [3].

---

1 » Rescribens Papae, se nec velle, nec debere, tales ad curam animarum admittere, qui se nescirent nec possent regere." Knyghton, p. 2436. Integra epistola invenitur ap. Matthaeum Paris, sub. an. 1253. — 2 Knyghton. ibid.

3 Mortuo Grostesto, inquit Woodius, moestitia incredibilis Academicorum animos pervasit, utpote quorum tenuiores patronum perbenignum, reliqui autem fortissimum injuriarum ultorem desiderabant. Postea Eduardus I et Universitas Oxon. a Clemente V petiverunt, ut Grostestum in Divos referendum decerneret: idem per literas rogarunt Pontificem Abbas et

Ex aequalibus, quanquam longe majores natu, Richardus Armachanus et Thomas Bradwardinus, quem supra jam memoravimus, vim in Wicliffum magnam habuisse videntur. De illo postea mentio injicienda erit. Ex Bradwardini autem opere: *de causa Dei contra Pelagium et virtute causarum* [1], profecisse Wicliffus videtur ad doctrinam de gratiâ divinâ et libero arbitrio, quam in *Trialogi* libro tractavit. Utrum vero ipsum cognoverit, affirmare non ausim: dum enim Oxonii operam conferebat ad artes et doctrinas, versatus est Bradwardinus in Galliâ, quo Eduardum III, cujus erat a confessionibus et sacris domesticis, cum exercitu Anglorum erat secutus. Et redux in patriam, a monachis Cantuariensibus Archiepiscopus electus anno 1349, paucis tantum diebus post consecrationem hac gavisus est dignitate, morte eum occupante [2].

monachi Osnejenses Oxonii. Omnes vero operam et oleum perdiderunt. In literis regiis, Carleoli VI Maji anno regni XXXV datis, inter alia haec in ejus laudem habentur: *Velut stella matutina in medio nebulae, et quasi lucerna non sub modio, sed super candelabrum posita, dispersit aliis lumen sapientiae et doctrinae in domo Domini virtutum.* Wood. Lib. I. p. 105. Exstat Woodii *Vita Grostesti* MS. — Cf. etiam Richardi, monachi Bardeniensis, *Liber de vita Rob. Grosthed, Ep. Linc.* in: Henr. Whartoni *Anglia Sacra.* Lond. 1691. P. II. p. 323—348. — Rogerus Baco in Grostesti laudibus permultus est. *Op. maj.* P. III. c. 1. et p. 44. — Matthaeus Parisius (sub an. 1253) servavit sermocinationes Grostesti moribundi lugubres de tyrannide papali. Tenendum, utrumque, cum Baconem, tum Matthaeum, aequalem ejus fuisse.

1 Edidit illud opus cum vitae ejus brevi descriptione Henricus Savillius. Lond. 1618.

2 Bradwardini laudantur praestantia ingenii, et animi bonitas ac lenitas. Cf. C. W. Le Bas, *The life of Wiclif.* Lond. 1832. *Introduction.* pag. 73 — 79. *Erat famosus*, inquit

Hactenus igitur investigavimus, quoad ejus fieri potuit, quibusnam Wicliffus eruditus sit artibus et doctrinis in Universitate Oxoniensi, quam admodum juvenis adiit, et ad quarumnam potissimum disciplinarum studium animum adjunxerit, dum porro hîc versatus est. Praeceptores vero, quibus usus fuerit, ignoramus, aeque ac fata ejus juventutis. Reliquimus eum in Collegio Mertonensi, cujus postquam fuerat alumnus, socius ejusdem optatus est. Circa annum demum 1356, quo virilem jam ingressus erat aetatem, certi quid de eo proferre possumus. Verisimile tamen est, per illud vitae spatium, quod nos latet, eum Magistri gradum suscepisse; namque hoc titulo ipsum ornatum mox reperiemus.

---

Si autem quaeritur, qualis fuerit juvenis indoles, et quosnam fructus tulerit illa institutio, hos fuisse uberrimos, illam naturâ felicissimam atque exercitationis assiduitati copulatam, efficerem ex testimoniis, quae ab omnibus, cum adversariis, tum fautoribus, de Wicliffi ingenio et eruditione tributa esse invenio. Henricus de Knyghton, Wicliffi aequalis, haec de eo testatus est: *Doctor in theologia eminentissimus in diebus illis. In philosophia nulli reputabatur secundus, in scolasticis disciplinis incomparabilis. Hic maxime nitebatur aliorum ingenia subti-*

Knyghtonus, *prae caeteris clericis totius Christianitatis, in theologia praecipue, similiter et in caeteris scientiis liberalibus.* p. 2600. Fuit nempe insignis illo tempore mathematicus. Edita sunt ejus de geometriâ et arithmeticâ scripta.

*litate scientiae et profunditate ingenii sui transcendere, et ab opinionibus eorum variare*[1]. Illud testimonium propterea magni esse momenti arbitror, quia Knyghtonus caeteroquin se Wicliffo inimicissimum in Chronico suo ostendit. Thomas Waldensis, Wicliffi paene aequalis, atque doctrinae ejus oppugnator, et acerrimus Wicliffitarum adversarius, scripsit in epistolâ ad Pontificem Martinum V, *se supra modum obstupuisse ad assertiones ejus* (Wicliffi) *praegrandes, et ad auctoritatum loca taxata cum vehementiis rationum*[2]. Idem alibi, *Wicliffi eruditionem apud exteros, et in generalibus studiis Lutetiae et Bononiae perinde atque Oxonii celebratam probatamque esse*, retulit[3]. Ex testimoniis, quae scriptores Angli posteriores dederunt, (ne dicamus de iis, qui nostrâ aetate et saeculo superiore de eo scripserunt), unum alterumve hîc apponere juvat. Johannes Lelandus, historicus et antiquarius insignis, multus est in laudibus Wicliffi. *Joannes Wicoclivus*, ait, *vir magno et excellenti plane ingenio praeditus, in Collegio — quod Isiaci* (Oxonii) *celeberrimum est, omnes eruditas artes tantâ cum felicitate perdidicit, quantâ sui temporis nemo facile alius. Nam in philosophia illa scholastica, acuminis ostentatrice, principem locum obtinebat: tum praeterea in theologiae recessus penitiores, et sacrosanctos quidem illos, tam alte descenderat, ut a theologorum vulgo pro deo tantum non habitus*

---

1 p. 2644. — 2 Apud Io. Foxum, in *Comm. rerum in Eccl. gestarum*, etc. P. I. p. 2. (Basileae. 1559). — 3 Vid. Wood, Lib. I. p. 198.

*sit: quo tandem calculo, summis honoribus et insignibus, quae in eruditos Academia conferre solet, donatus est* [1]. Joannes Baleus, Episcopus Ossoriensis, *Wicliffum ingenio, facundiâ, atque eruditione multiplici, omnes in Anglia commilitones longo intervallo superasse*, scripsit [2]. Io. Foxus, *insignem eum theologum, nec minus in omni philosophiae genere exquisite versatum* dixit [3]. Nicolaus Harpsfeldius, qui hostile adversus Wicliffum fovebat odium, in eo *ingenium acre atque acutum, sed nimis vehemens atque populare* agnovit [4]. *Virum ingenio subacto, et sacris literis versatissimum* eum nominavit Guil. Camdenus [5]. Antonius à Wood his verbis memoriam ejus posteris prodidit: *Johannes de Wickliffe, vel Wycleve, exercitatissimus fuit philosophus, et clarissimus theologus; excellentis et plane divini ingenii* [6]. Henricus Whartonus, laudibus Wicliffum cumulans, inter plura alia ingenii animique praeconia, eum judicavit *philosophum insignem, theologum omnibus numeris consummatissimum* [7]. Atque praedicavit quoque Johannes Speedius ingenium ejus acutum, praeclaram eruditionem, et acre judicium [8].

---

1 Locum laudavit Io. Baleus in *Catal. Scriptt. ill. Bryt.* Cent. 6. p. 450. — 2 Op. laud. Cent. 6. p. 450. — 3 Op. laud. P. I. p. 1. — 4 In *Hist. Wicleffiana.* cap. I. (*Hist. Angl. Eccl.* p. 668. Duaci. 1622). — 5 In opusculo, cui titulus: *Britannia.* Francof. 1590. p. 410. — 6 Lib. II. p. 87. — 7 In *App. ad Hist. Liter.* Cavei. Vol. II. p. 60.

8 *A man* (sic) *of sharpe wit, profound learning, and great judgement. The Hist. of Great Britaine.* Lond. 1627. f°. p. 600.

## CAPUT II.

### WICLIFFUS, VIRILEM INGRESSUS AETATEM, MORES MAXIME EMENDARE STUDET.

*Ab anno 1356 ad annum 1367.*

---

*Cleri depravationem palam reprehendit. Libertatem Universitatis Oxoniensis fortiter vindicat adversus monachos Mendicantes, quibus vitia et perversa studia quacunque opportunitate exprobrat.*

Cum hac ingenii bonitate, ad quam animum modo advertimus, conjuncta fuit in Wicliffo magna ad virtutem indoles, quae aetatis progressu magis est explicita. Prouti doctrina hanc promovebat vim insitam, sic tempora quoque sensum ejus religiosum et moralem haud raro reddebant efficaciorem.

Deplorabat valde corruptelam morum, ignorantiam, superstitionem, tam nobilium in Angliâ, quam plebis, eorum autem imprimis, quos populo et magnatibus exemplum praebere ad imitandum deceret. Itaque

Wicliffus, virilem ingressus aetatem, continuo mores emendare, maxime clericorum, quorum vis in populum magna erat, sibi proposuit: cujus propositi exsequendi opportunitas ejusmodi ei fuisse videtur.

Dum disciplinarum studio deditus erat Wicliffus, grassata est gravis pestilentia per totam Angliam. Ex Oriente processit ad Europam, primum meridionalem, tum occidentales occupavit partes, et transiit tandem ad septentrionales. Progressa etiam in Angliam anno 1348, Oxonium sequenti anno pervenit, ibique tantopere saeviit, ut occluderentur scholarum fores, Aulasque et Collegia morbidi et moribundi incolerent, vix adeo superessent, qui in defunctorum funus prodirent [1]. Terrae insuper motus continuique imbres terrorem quaquaversum jam sparserant per Europam. Non mirum igitur, si homines paulo graviores, tot malis perterrefacti, causam quaesiverint in aevi vitiis et morum depravatione, propter quae Deus genus humanum istiusmodi poenis affligeret. Papa, asseverans haec omnia propter peccata hominibus evenire, literas misit de pace conciliandâ inter regna Angliae et Galliae, ut sic evaderent vindicem Dei dexteram. Quocirca Eduardus III inducias fecit cum Philippo Valesio. Erant, qui luxuriam in vestitu immodicam, in quam tunc nobiles et clerici [2],

[1] Vid. Wood, Lib. I. p. 171. — Knyghton. p. 2598 sq. — Thom. Walsinghami *Hist. Angl.* p. 168. — [2] Scholares quoque Oxonienses hac in re clerum Anglicanum esse imitatos, scripsit Woodius sub an. 1343.

maxime alter sexus[1], prolapsi erant, provocasse illam Numinis irati vindictam, contenderent, ideoque luxum temperari cuperent. Quod quidem, statutis hac de re a rege editis, factum est. Attamen postea adeo luxuria denuo invaluit, ut Richardus II cum Parliamenti assensu innovare illa coactus fuerit[2]. Alii, non contenti plenâ omnium peccatorum remissione, quam illis diebus satis largiter Papa concessit moribundis, terram a dirâ lue expiare Deumque placare posse sibi videbantur flagellando corpora sua: unde exstitit circa hoc tempus primum in Germania, tum alibi, familia Flagellantium s. Crucifratrum, qui, aversantes Clerum et absolutionem a peccatis, quam Ecclesia concederet, corporis cruciatibus poenitentiam agebant. Oberrantes et vagantes amplectebantur haud raro aliarum sectarum opiniones: quo factum, ut hi fanatici, quorum pars usque ad reformationem saeculo XVI superfuisse dicitur, Ecclesiae perniciosi haberentur[3]. Horum nonnulli anno 1350 venerunt in Angliam, »poenitentes viri nobiles et alienigenae, inquit Walsinghamus, qui sua nuda corpora usque ad effusionem sanguinis, nunc flendo, nunc canendo, acerrime flagellabant[4]."

Quantopere ingens illud malum Wicliffi animum

1 Vid. descriptio vestitus luxuriosi matronarum Anglicarum apud Knyghtonum. p. 2597. — 2 Anno 1388. Reperiuntur haec statuta, linguâ Normannicâ scripta, apud Knyghtonum p. 2729 sqq.
3 Cf. Gieseler, Vol. II. P. III. p. 273 sqq. — Förstemann, *die christl. Geisslergesellschaften.* Halae. 1828. — *Der Flagellantismus und die Jesuitenbeichte, nach dem Italienischen des Giovani Fr. sta.* Lips. 1834. — 4 *Hist. Angl.* p. 169.

affecerit et ad meditandum invitaverit, hinc colligere licet, quod saepius ea tempora deinceps memoriâ recoluit [1]. Summo dolore dirissimas contemplabatur calamitates, quae pestilentiam illam comitabantur et sequebantur. Non erat absurdum, si exspectatio mentem ejus subiret, fore ut populares Deum, quem sibi iratum cogitabant, placare studerent, non quidem flagellando et cruciando corpora sua, sed resipiscentiâ et vitae morumque emendatione. Contrarium vero obtinebat, tum inter clericos, tum inter laicos; et dolebat sane Wicliffus aevum istud tenebris adhuc et vitiis multis obrutum. Ubivis devastatio et paupertas post pestem cernebantur, ingens hominum numerus demessus erat, vitae socialis miserrima conditio, rusticorum, qui agros colerent, penuria, ditiorum in castella recessus: his miseriis accesserunt clericorum stupiditas et corruptio, universaeque Ecclesiae Anglicanae conditio deploranda. »Tanta penuria erat, scribit Knyghtonus, sacerdotum ubique, quod multae ecclesiae viduatae erant carentes divinis officiis, missis, matutinis, vesperis, sacramentis et sacramentalibus. Vix posset homo habere unum capellanum infra X. li. vel X. marcas ministrare alicui ecclesiae. — Sed infra breve confluebant ad ordines maxima multi-

---

[1] In *Trial.* Lib. IV. c. 35. pestilentiae, cujus postea etiam vestigia adfuisse videntur, aërisque intemperiei, causam novam exploravit, attribuens eam partim fratrum Mendicantium vitae otiosae et gulae. .... *inficientes*, ait, *aërem cum ingurgitato stomacho, et sudoribus evaporatis indebite inficiunt aërem communiter, et inferunt suis confratribus nocumenta.*

tudo, quorum uxores obierant in pestilentia, de quibus multi illiterati et quasi meri laici, nisi quatenus aliqualiter legere sciebant, licet non intelligere [1]."

Haec tempora calamitosa universaque haec rerum confusio et in Ecclesia et in vita sociali, videntur impulisse Wicliffum, ut homines adhortaretur ad vitia virtutibus emendanda et redeundum ad mentem meliorem. Et sic quidem prodiit anno 1356, libellum edens, qui inscriptus est: *de ultimâ aetate Ecclesiae* [2]. »Eheu! proh dolor, (ita incipit), magni sacerdotes versantur in tenebris et umbrâ mortis." Vehementer tum perstringens clericorum vitia, in horum vanitate, simoniâ, turpi incuriâ, omnium malorum culpam, et causam morbi, qui, pestilentiae vi longe sane gravior, in societatis venis grassabatur, residere potissimum putat. Eorum propter corruptelam saeva mors, vindictae divinae nuntia et ministra, quaquaversum prorumpebat. Sed hac nuperrimâ calamitate longe graviorem instare prospicit: annuntiat summâ gravitate extremum quoddam judicium jam jam appropinquans. »Vindicta gladii, ait, et miseriae, incognitae antea, quibus homines illis diebus punientur, supervenient propter peccata sacerdotum; homines aggredientur istos et ejicient ex pinguibus ipsorum beneficiis, et dicent: hic beneficio suo ornatus est per consanguineos suos, idque ante inter eos erat conventum; iste ob officia sua vilia, et quidem pecuniae ope intravit Dei

---

1 p. 2600. — 2 Examinavit Vaughanus MS., quod exstat in Bibl. Dubl. Coll. Trin. vid. Vol. I. p. 254. not 30.

Ecclesiam." Modestos vero et sincere resipiscentes excitare vult solatio, quod Euangelium habet. »Dum, inquit, peccatores eramus et filii irae, Dei Filius, de coelo descendit, et preces pro inimicis ad Patrem fundens, pro nobis mortuus est. Multo igitur magis salvabimur, justificati nunc per Ejus sanguinem." De hocce judicio, quod sub finem saeculi XIV adventurum esse conjiciebat, sibi persuasisse videtur vaticiniis Abbatissae Hildegardis et Abbatis Joachimi[1].

Patet quidem ex hoc scripto, Wicliffum hac vitae aetate superstitione aevi opinionibusque minus sanis haud fuisse immunem; at vero simul sensus religiosus et moralis, quem expromit libellus, qualis esset Wicliffus futurus, significare videbatur. Porro animadvertendum est, *primo*, hominem, luxuriante phantasiâ praeditum, ut hac abutatur, religionis ardore quodam et ambitione facile abripi posse: *deinde*, invaluisse illis diebus fanaticas opiniones, de Satanâ, mille annis in vinculis habito, nunc autem ob universam Ecclesiae corruptionem soluto et saeviente, deque puriore tamen aevo certe exspectando, cujus spatio Ecclesia spiritualis invalesceret: *tandem*, omni fere tempore homines calamitates ingentes habuisse Numinis divini, irâ aestuan-

[1] Vid. hujus disq. *Introitus*. pag. 7. — Jo. Baleus laudat etiam titulum libri, quem Wicliffus scripserit: *In prophetiam Hildegardis*, cujus initium est: *Beata virgo Hildegardis, cujus haec*, etc. Cent. 6. p. 452. Cf. Lewis, pag. 153. Baber, *Memoirs* etc. p. XLV. — Saepius de hac spiritu divino tactâ puellâ locutus est Wicliffus, e. g. in *Trial*. Lib. IV. c. 26, alibi. Observandum est, sanctam Hildegardim veneratos quoque fuisse Hussum, aliosque graves illorum temporum viros.

tis, poenas commeritas pro criminibus suis. Et quum hodieque reperiantur, quanquam meliora edocentur de divinâ naturâ et indole, qui in procellis et turbine, in terrae motu et igne inesse vindictam anhelantem Deum putent, quidni Wicliffum, qui quinque circa saeculis prius vixit, talia proferentem bonâ veniâ audiamus? Habuit autem illa aevi fides de Satanâ, per orbem terrarum saeviente, magnam deinceps etiam vim in Wicliffi doctrinam. Saepius mentio in scriptis ejus injicitur de cujusdam mali genii vi, tunc praesertim seducere fideles omnes et allicere tentantis. Persuasum sibi habuisse videtur, daemones, e regno tenebrarum profectos, per terram late se diffudisse, atque his esse adscribenda Ecclesiae corruptionem et flagitia [1]. Et prouti tunc multum legere solebant Apocalypsin Johanneam, sic Wicliffus quoque, datâ operâ, inquirebat in altos illos mentis Apostoli recessus [2].

---

Vehementer autem Wicliffus corruptos sui temporis mores, praecipue clericorum, perstringens, magis etiam de industriâ adortus est vitia et perversa studia monachorum Mendicantium. Haec ejus cum fratribus istis contentio quum per totam fere vitam acerrima fuerit,

---

[1] Scripto egit Wicliffus *de solutione Sathanae*, *de Diabolo millenario*, *de Daemonum aestu in subvertenda religione*, *de Sathanae aestu contra fidem*, caet.

[2] Scripsit Anglice commentationem *in Apocalypsin Joannis*. Vid. Vaughan. Vol. II. p. 389.

ad eam bene dijudicandam, valere forte poterit, si antea paucis exponere conemur instituti illius monachici indolem, consilium, atque hoc aevo depravationem.

Distinguebantur Mendicantes a Benedictinis monachis maxime eo, quod arctius adstringebantur voto paupertatis, cujus religiosâ observatione veros se esse Christi discipulos verosque imitatores jactabant, atque, omnia respuentes bona terrestria, uni Ecclesiae saluti se dicare cupiebant. Quocirca munera et officia, quibus clerici, tum saeculares, tum regulares, fungi solebant, sibi quoque sensim arrogabant, quo, ut intelligitur, horum invidiam valde sibi conflabant. Studebant in populum imprimis magnam obtinere vim, ut in hunc dominantes et Ecclesiae prospicerent et suam auctoritatem dignitatemque sustinerent et amplificarent. Propterea non intra monasterii claustra continebantur, sed in luce hominum versabantur, in varias peregrinabantur partes, atque oberrantes panemque fere mendicantes humiliter, vitam sustentabant piorum hominum donis. Pontifices, metuentes haereticorum illis temporibus caeterorumque Ecclesiae Pontificiae inimicorum crescentem in laicos efficacitatem, lubenter suâ tutelâ et favore prosequebantur multisque remunerabantur privilegiis illos, qui pro Ecclesiae emolumento et Hierarchiâ vindicandâ suas devoverent fortunas; ut scilicet vicissim istorum auxilio Pontificum stabiliretur auctoritas. Namque Papae opponebant illos satellites adversariis Ecclesiae, iisque utebantur tanquam Hierarchiae vindicibus et statoribus. Ut autem monachi isti vim suam latius

efficaciusque exsererent, magnam partem in scholis atque Universitatibus potiti sunt institutione juventutis. Apparet in iis universe idem fere, quod in Jesuitarum deinceps collegio, studium tuendae Hierarchiae, idque eâ ratione, ut se insinuarent in principum et nobilium, aeque ac plebejorum, consuetudinem, erudirent juventutem, inquirerent et dominarentur in hominum mentes. At vero eruditione variâ non eminuit fratrum Mendicantium ordo. Sed vel sic fuerunt inter eos viri nonnulli, doctrinâ atque ingenii excellentiâ perquam laudabiles [1]: primarii nempe scholastici adscripti fuerunt ordini Dominicanorum vel Franciscanorum, Thomas Aquinas, Albertus Magnus, Johannes Dunsius, Occamus; utque alios taceam, nomen illius recitare sufficiat, qui solidâ et variâ quoque eruditione imprimis excelluit, Rogerum dico Baconem [2]. Id quoque a

---

[1] *Wenn gleich*, ait Heerenus, *aus ihrer Mitte — einige der gelehrtesten Männer hervorgegangen sind, so war dies mehr persönliches Verdienst, als dass man es Geist des Ordens nennen könnte.* Op. laud. *Einl.* p. 236.

[2] Rogerus Baco, e sodalitio Sancti Francisci frater et Grostesti discipulus, cum literarum antiquarum (uti supra alicubi jam memoravimus), tum imprimis disciplinarum mathematicarum et philosophiae naturalis studio illustris erat: in quâ tractandâ philosophiâ novam iniit viam. Prouti Baco ille Verulamius, saec. XVI philosophiae instaurator, cujus homonymus non tantum, sed cui in studiis ac philosophandi methodo aliquatenus etiam similis fuit, non fingendo, aut statuendo, sed observando et explorando, rerum naturam cognoscere studuit, et sic in physicis, opticâ, mechanicâ, chemiâ, multa experimento didicit et invenit nova. Horum vero inventorum varium eximiumque usum fere non perspiciebat summus vir. Non miramur sane, Baconem, aetatis suae hominibus longe superiorem, daemonis quodammodo necessarium creditum fuisse ab aequalibus, et custodiae traditum

nonnullis scriptoribus laudi datum est fratribus, quod consueverint sedulo undecunque conquirere literarum monumenta, praesertim vero ea scripta, quae de theologiâ et jurisprudentiâ agerent: quamvis alii id vituperarint, quandoquidem monachi isti sic in aedes suas conquirentes, quidquid rarae uspiam aut conspicuae esset doctrinae, viros literatos privarent copiâ comparandi sibi illa scripta. Quicquid autem est, hinc in hospitiis Dominicanorum et Franciscanorum Oxonii librorum collectiones satis amplae exstabant [1]. Adfuit autem Wicliffi jam aetate in Academiâ Oxoniensi bibliotheca publica, comparata ex donatione Episcopi Dunelmensis, Richardi de Bury, sive Angervyll, a quo *Angervillana* dicta est [2].

Cohortes vero illae Mendicantium ab instituti principio brevi desciverunt, adque turpissima decurrerunt vitia. Prouti alibi, sic quoque in Angliâ quibusvis fere flagitiis dediti erant: et quum vitae

---

propter magiae suspicionem. Praeter *Opus majus*, cujus *partem sextam* veluti typum esse *Novi Organi* Francisci Baconis, dicit Hallamus (Vol. III. p. 539. not.), multa in Bibliothecis Brit. adhuc latere feruntur Baconis MSS. Cf. Degerandus, Vol. IV. p. 548, p. 566. not. M. — Wood, Lib. I. p. 136 sqq. Heeren, *Einl.* p. 244. not. 2.

1 Vid. Wood, Lib. I. p. 77.

2 Ille Episcopus libros suos, qui plures numero, quam reliquorum hoc aevo in Anglia Episcoporum libri, fuisse dicuntur, testamento reliquit († 1345) Collegio Dunelmensi, ubi in cistis asservabantur, donec successor ejus in Episcopatum bibliothecam construxit anno 1370. Tunc haec lauta librorum suppellex et Collegii alumnis et reliquis Academicis evolvenda suppeditata est. Cf. Wood, Lib. II. p. 48. Harpsfeldii *Hist. Angl. Eccl.* p. 580.

sanctimoniâ dignitatem famamque suam haud amplius tuerentur, sustinere eam conabantur piis fraudibus, fabulis de suâ potentiâ, praestigiis, opesque sibi congerebant non exiguas. Populi autem ignorantiam et superstitionem alentes, vim in eum exserere pergebant [1]. Accedebant, ad ordinis auctoritatem magis etiam infringendam, internae lites et ambitio; atque inimicitia clerum Episcopalem inter et fratres Mendicantes eo tandem perveniebat, ut anno 1351 multi Praelati a Clemente VI petiverint istius ordinis monachici dissolutionem [2]. Sed vel sic tamen Pontifices, nec raro principes et nobiles, iis favere perseverabant.

Facile intelligimus, Wicliffum, cujus querimonias de Cleri depravatione jam audivimus, abhorruisse a vitiis

---

1 Matthaeus Parisius, testis oculatus, egregie descripsit fratres in Angliâ degenerantes seque ubivis insinuantes. *Hist. Angl.* sub an. 1243. »Hi (scribit) jam sunt, qui in sumptuosis et diatim ampliatis aedificiis et celsis muralibus thesauros exponunt impreciabiles; paupertatis limites, et basin suae professionis — impudenter transgredientes. Morituris magnatibus et divitibus, quos norunt pecuniis abundare, diligenter insistunt, non sine ordinariorum injuriis et jacturis, ut emolumentis inhient, confessiones extorquent et occulta testamenta, se suumque ordinem solum commendantes, et omnibus aliis praeponentes. Unde nullus fidelis, nisi Praedicatorum et Minorum regatur consiliis, jam credit salvari. In acquirendis privilegiis solliciti; in curiis regum et potentum consiliarii, et cubicularii, et thesaurarii, paranymphi, et nuptiarum praelocutores; papalium extortionum executores; in praedicationibus suis vel adulatores, vel mordacissimi reprehensores, vel confessionum detectores, vel incauti redargutores.'' etc.

2 Cf. *Continuatio Chronici Guil. de Nangis*, in: d'Achery, *Spicil.* Tom. III. p. 112.

ac dominandi libidine istorum monachorum. Neque universe tantum perversam instituti rationem oppugnavit, verum hac vitae aetate opposuit se imprimis iis ex fratribus Mendicantibus, qui in Universitate Oxoniensi res turbare conati sunt. Hîc gravissimae jam dudum fuerant concertationes fratres inter et caeteros Academicos, quae, saeculo XIII exortae, identidem incaluerunt. Quum enim numerus Praedicatorum et fratrum Minorum Oxonii sensim adaugeretur, insuperque huc adventassent Fratres de monte Carmelo et Eremitae sancti Augustini, hîc quoque dominari illi voluerunt. Concitatae fuerunt lites de Universitatis decreto, secundum quod nemini licitum fuit in theologiâ incipere, nisi in artibus prius, aut Oxonii, aut in aliâ Universitate, rexisset. Hoc autem adeo displicuit illis monachis, ut petitionibus de eo abrogando sategerint, asperrimasque propterea molestias crearint Academiae. Nil non moliebantur deinde, ut Universitatis ditioni se subtraherent, statutaque hujus et consuetudines veteres contemtu fere habebant [1]. Solebant quoque bullas papales contra Universitatem, aut aliquem ex alumnis, efflagitare, si lites ipsis essent [2]. Porro cathedras magistrales in theologiâ, si modo potuissent, lubenter occupassent cunctas; quin etiam adolescentes quosque generosissimos in sua alliciebant sodalitia, quo Academia damnum haud exiguum fecit. Nam pauciores Oxonium se conferebant juvenes, quum parentes solliciti essent

---

[1] Cf. Wood, Lib. I. p. 83, 96, 150, 151, alibi.
[2] Id. Lib. I. p. 183.

de mittendis eo filiis. Sic dominari in hanc Universitatem studuerunt monachi Mendicantes, ut, nisi multi fortitèr iis restitissent, tandem, omni illic sublatâ libertate, invaluisset merus monachismus.

Inter eos, qui Universitatis instituta defenderunt, atque libertatem ejus vindicarunt adversus istorum dominandi libidinem, laudandi imprimis sunt Richardus, filius Radulphi, vulgo Fitz-ralph s. Fizrauf dictus, et Johannes Wicliffus [1]. Richardus ille, anno 1333 Cancellarii munere fungens, strenue causam Universitatis Oxoniensis egit. Quum anno demum 1347 Primas Ecclesiae Hiberniae crearetur, unde saepius Richardus Armachanus appellatur, admodum probabile est, eum innotuisse Wicliffo. Hic autem quin cum tanto viro consuetudinem jungere summopere studuerit, haud dubium est. Nam in theologia et philosophia excellebat Richardus, juris utriusque erat doctus, et magnâ auctoritate ob eruditionem probitatemque florebat apud regem Eduardum III [2]. Legisse quoque Wicliffum studiose viri illius scripta, testatus est Whartonus. Postquam factus erat Richardus Archiepiscopus Ardinachae, scriptis et oratione saepius aggressus est

---

[1] Saec. XIII medio, in Universitate etiam Parisinâ graves motae erant lites cum monachis Mendicantibus. Causam Universitatis egregie tunc defendit Guilielmus de Sancto Amore, doctor Sorbonnensis, qui anno 1256 contra eos scripsit librum, *de periculis novissimorum temporum*. Vid. Gieseler. Vol. II. P. II. p. 343. not. e.

[2] Johannem Baconthorpium habuit Richardus praeceptorem, inque Collegio Balliolensi institutus est. Cf. Baleus. Cent. 5. p. 443. sq.

familiam Mendicantium. Londini aliquando moratus (1354), forte fortuna Minoritam quendam, Rogerum Convaeum, concionantem ibi audivit de paupertate Christi, quam ejusmodi fuisse contendebat ille, ut neque ipse Jesus, neque Apostolorum aliquis, quicquam sibi suo nomine vindicarit, verum omnia illi communi quodam jure possederint[1]. Qua excitatus oratione, vehementer in monachorum institutum invectus est, ita ut hi exasperati Avenionem eum coram Pontifice provocarent. Illic, congregatis Innocentio VI et Cardinalibus die 8 m. Nov. anno 1357, sententias suas contra fratres intrepide defendit[2]. Accusabat Mendicantes cum multorum errorum vitiorumque, tum vero etiam affirmabat hac opportunitate, quoniam juvenes haud paucos isti inescarent inque ordinem suum pertraherent, adeo esse imminutum numerum scholarium in Universitate Oxoniensi, ut, quum suo tempore triginta ibi millia fuissent, nunc non reperirentur sex millia[3].

---

1 Wood, Lib. I. p. 181. — 2 In oratione, cui titulus: *Defensio Curatorum contra eos, qui se dicunt Privilegiatos;* quae reperitur in Melch. Goldast Haiminsfeldii *Monarchia S. imp. Rom.* Francof. 1621. Tom. III. p. 1392.

3 Wood, Lib. I. p. 80. — *30,000, an exaggeration*, ait Hallamus, *which seems to imply, that the real number was very great.* Vol. III. p. 526. Animadvertendum autem est, quod alicubi Woodius de hocce ingenti numero dixit: — » inter quos tamen, inquit, irrepsere sceleratissimi quidam ganeones, qui, studiorum obtentu, stupris et rapinis et flagitiis omnimodis invigilarent. Omnis illi disciplinae legibus soluti, Tutores, nomine quidem tenus, habebant, et lectionibus ordinariis nonnunquam intererant, verum haec eo consilio facta sunt, ut, quoties flagitiosi quippiam patrarent, scholarium immunitates in jus trahentibus opponerent.'' Lib. I. p. 84.

Interea dum deliberabatur de hac causa, Richardus, admodum senex, Avenione diem supremum obiit, anno 1360: de quo mortuo monachi Mendicantes potius τὸ *Gaudeamus*, quam τὸ *Requiem*, cantasse feruntur [1].

Hunc igitur Archiepiscopum venerabilem excepit Wicliffus in agendâ causâ Universitatis Oxoniensis, et tuendis privilegiis veteris Cleri. Eodem scilicet anno, quo ille obiit, huic controversiae immixtus prodiit Wicliffus in Annalibus Anglorum. Partium Universitatis se exhibuisse dicitur adjutorem fidelem, ejusque libertatis adversus Mendicantes vindicem fortissimum. Socios autem habebat in hac concertatione Uthredum Boltonum, monachum Benedictinum, Gualterum Brithum, Collegii Mertonensis quondam alumnum, Nicolaum Herefordium, sacerdotem saecularem et doctorem theologiae, alios, qui eruditione omnes et ingenii alacritate se commendantes, monachorum argumenta magno caeterorum Academicorum plausu convellebant [2]. Tum vero Wicliffus, scriptis multis et disputationibus, universam instituti hujus monachici rationem, ac Mendicantium mores et placita, reprehendit acerbe et oppugnavit. Ab hoc igitur inde tempore, hostili odio oderunt se invicem Wicliffus et monachi isti, hoc tamen discrimine, quod ille placita tantum et studia eorum perosus fuit, hi vero ipsi viro fuerunt mirifice infensi, qui summâ

---

1 Vid. Steph. Baluzii *Vitae PP. Avenion.* Tom. I. p. 338. ejusdemque *notae* Tom. I. p. 950 sq.

2 Cf. Baleus, Cent. 6. p. 482, 502, 503. Wood, Lib. I. p. 181.

dicendi libertate vitia ipsis exprobraret palam, ipsorumque callida consilia et perniciosa denudaret populo. Magnum profecto virum in illa controversiâ se praebuit Wicliffus. Ejusmodi enim hominum, qui astutiâ auram popularem facile captant, et potentium patrocinio gaudent, quique nullas non insidias tibi tendent, si ipsis resistere audeas, ejusmodi dico hominum studia et nefaria facinora, quàcunque opportunitate, quamdiu vivis, examinare publiceque detegere, eosque spoliare sanctitatis, quam prae se ferunt, famâ, illud profecto in hominem vulgarem non cadit, sed animum prodit fortem imprimis et firmum.

Ex scriptis, quae Wicliffus multa emisit contra monachos Mendicantes, quaenam composuerit circa hoc tempus, ignoramus. Retulit quidem Io. Baleus haec: »Anno Domini 1360, juvenis quidam Anglus scripsit contra mendicitatem fratrum librum aculeatum, acerrime impugnans eandem, non solum scripturis et rationibus, sed etiam in fine per prophetias Hildegardis, Joachimi abbatis, ac Cyrilli presbyteri. Quem aliqui putant fuisse Joannem Wiclevum. Liber incipit: Quia omnia communiter omnibus data" [1]. Sed, quum hujus libri auctor *juvenis quidam* fuisse dicatur, Wicliffus auctor non fuisse videtur; natus enim tunc (1360) erat annos triginta sex: et praeterea ex illo testimonio non satis patet, quî liber iste inscriptus fuerit. Scripta illa, quae a Jamesio edita sunt, *Against the Orders of*

---

[1] Cent. 5. p. 448.

*the Begging Friars*, et *A complaint to the King and Parliament*, (hujus Latinum quoque exstat exemplar, titulo: *ad Regem et Parliamentum*), postea demum ab eo composita fuere [1]. Brevem tractatum adversus monachum Mendicantem, inscriptum: *Illustrissimo Duci Glocestriae*, sive titulo: *Against able Beggary*, diu post annum 1360 a Wicliffo scriptum fuisse, judice sagacissimo illo MSS. Wicliffianorum perscrutatore, aequo animo feram [2]. Reliqua ejus contra Mendicantes scripta, *De blasphemia contra Fratres*, Anglice, *Super testamento Francisci*, Latine et Anglice, alia, quo prodierint tempore, incertum est [3]. In libro IV *Trialogi*, quod opus provectâ aetate Wicliffum conscripsisse constat, fuse quoque de fratribus Mendicantibus agitur. Tenendum insuper est, in omnibus fere, quae conscripsit Wicliffus, voluminibus, mentionem factam esse de istis monachis. Quapropter eorum comprobanda videtur sententia, qui putant, eum deinceps conlegisse in libris illis, modo memoratis, ea, quae anno jam 1360, et variâ iden-

---

1 Vid. Vaughan. Vol. I. p. 267. not. 6. Dr. Thomas Jamesius, Proto-bibliothecarius Bodlejanensis, anno 1608 edidit (Oxon. 4°.) ambos illos Wicliffi libellos ex MSS. Angl.; atque adjecit ad calcem voluminis, Apologiam pro Joh. Wicliffo. Opus hocce Jamesii, (quod admodum rarum est), titulum habet: *Two short treatises against the orders of Begging Friars, compiled by that famous Doctour of the Church*, etc. *John Wiclif*, etc. — 2 Vaughan. Vol. I. p. 270. not. 9.

3 Tractatus hi: *de otio et mendicitate, de Fratrum nequitiis, de perfectione Euangelica, objections of Freers*, partes esse dicuntur separatae opusculi: *Against the Orders of the Begging Friars*. Cf. Baber. p. XL.

tidem opportunitate, contra Mendicantes vel disputaverat, vel sparsim scripserat[1].

Quid iis objecerit, si quaeris, apparet eum invectum esse vehementissime in nulla non vitia et studia perniciosa horum monachorum, quorum tanta fuit peccandi libido, ut omnia, quae Wicliffus in istos increpuit, referre erubescamus[2]: damnavit autem potissimum rationem, qua observabant, Franciscani imprimis, palmarium illud caput regulae suae de *abdicatione proprietatis omnium rerum in speciali et in communi*, quam Christum et Apostolos, viam perfectionis sequentes et aliis indicantes, verbo docuisse, et exemplo confirmasse, illi ajebant. Pauperes igitur plurimi inter eos fiebant voluntarie, suaviterque otiabantur, ut, nihil possidentes jure proprietatis et dominii, alienâ misericordiâ laute viverent, imo vero, dona populo extorquentes, divitias sibi conquirerent magnas. In hac fratrum mendicitate spontaneâ et ambitiosâ, atque turpissimo otio, radice omnium vitiorum, tela argumentationis et exprobrationis Wicliffi praecipue adhaeserunt. Ferre non poterat, istos specie tenaciter obtemperare regulis suis, divina vero Euangelii praecepta, quae vitam unicuique commendarent non contemplativam, sed operosam et efficacem, contumeliose negligere; ideoque hunc ordinem monachicum, pietatem Chris-

---

1 Haec sententia confirmari mihi videtur iis verbis, quae, in *Trial.* Lib. IV. c. 30. de *literis fraternitatum* agens, *Phronesis* pronuntiat: *Placet* (inquit) *de illis dicere in Latino, quod quondam expressi in Anglico.*

2 Vid. inter alia, ea, quae ex Wicliffi libro: *de Hypocrisi*, citavit Jo. Baleus, Cent. 6. p. 475.

tianam in Ecclesia pessundantem, tollendum esse statuebat. Sic quidem Wicliffus sibi contraxit horum simultatem, verum summum quoque ex hac controversiâ percepit fructum. Nam, praeterquam quod de perversâ Ecclesiae conditione hac opportunitate magis etiam sibi persuadebat, ansa ei data est inquirendi quotidie accuratius in Codicem sacrum, ita ut hunc tandem unicum fidei Christianae fontem et normam existimaverit. Ex monachis scilicet Mendicantibus multi, clamantes et scribentes contra Wicliffum, quem haeriticum appellabant, idque ob ejus sententias maxime, quum viri mores criminari non possent, provocare solebant, ut sordidam suam defenderent paupertatem, ad Christi Apostolorumque exemplum et effata, licet misere haec contorquerent falseque inde concluderent. Ita autem disputantes, cogebant fere adversarium, ut suis ipsorum armis ipsos oppugnaret. Petivit igitur ille sua argumenta adversus eos, cum e Patribus Ecclesiae aliisque scriptoribus, tum potissimum e Codice sacro.

Omnem quidem monachismum improbasse videtur Wicliffus, qui in memoriam aetatis Apostolicae redire amabat, libertatisque ardore incendebatur; sed quum a Mendicantium catervâ pars reliqua monachorum fere obscuraretur, et fratres maxime hoc tempore pessimis essent moribus, simulationis artificio eruditi, vultum ad modestiam et pietatem componentes, non vero ingenium, ita ut primâ fronte deciperent multos, propterea istos praesertim aggressus est.

Neque solus Wicliffus hoc aevo cum universe cleri-

corum depravationem reprehendit, tum imprimis monachorum Mendicantium se opposuit pravitati et pessimis studiis, sed fuerunt et alii, qui eatenus agerent eandem, quam ille, causam, quanquam diverso modo, nec tamen minus efficaci. In Angliâ quoque, prouti in Italiâ, Galliâ, Germaniâ, exstiterunt poëtae, qui studium poëseos apud populares suos excitantes, ac linguam patriam excolentes et polientes, simul exagitabant in carminibus suis clericorum vitia. Sex annis ante, quam Wicliffi scriptum: *de ultimà aetate Ecclesiae*, in lucem edebatur, prodiit in Angliâ poëma, patrio sermone conscriptum, titulo: *The visions of Peirce plowman* (Visiones Petri aratoris), cujus auctor Robertus Longlandus, sacerdos, natus in comitatu Salopiae, habitus est. In hoc poëmate allegorico acerbe perstringuntur Ecclesiae vitia, maxime superstitio, quae ubivis invaluerat, atque ordinum monachicorum ingens perversitas; tum etiam de futurâ reformatione praeclare vates ille cecinit [1]. Hujus Longlandi sententiae cum Wicliffi iisdem de rebus sentiendi ratione egregie convenire dicuntur: quocirca valde probabile est, alterum ab altero mutuo profecisse ad tentandam Ecclesiae emendationem, quam uterque perquam necessariam habuit. Wicliffi quoque vestigiis insistens celebratissimus ille Anglorum poëta,

[1] *He had foretold*, ait Vaughanus, *the approaching reformation with a distinctness, that astonished and delighted the men of a later age.* Vol. II p. 149. Baleus igitur, saec. XVI scribens, dixit de Longlandi poëmate: *In hoc opere erudito praeter similitudines varias et jucundas, prophetice plura praedixit, quae nostris diebus impleri vidimus.* Cent. 6. p. 474.

Galfridus Chaucerus, Ecclesiae abusus, clericorum deperditos mores, imprimis monachorum, et universe aevi vitia, acerbissime notavit in palmariis suis carminibus. Natus Londini anno 1328, eodem, quo Wicliffus, tempore in Universitate Oxoniensi eruditus, atque, secundum nonnullos scriptores, in Collegio Mertonensi una cum eo institutus fuissse dicitur[1]. Deinde peregrinatus in Galliam et Italiam, Patavii incidit in Petrarcham: et linguae Romanensis et Italae veneres omnes, lepores, et delicias alte imbibens, redux in patriam, poësin felicissime excoluit patriumque sermonem expolivit. In aulâ Eduardi III, hoc tempore celebratissimâ ob magnificentiam, luxum, et rei equestris splendorem, honoratus imprimis fuit Chaucerus, anno 1359 inter nobiles illos cooptatus viros, qui regem comitari eique ministrare solebant. Quum Wicliffi et aequalis et amicissimus esset, palam favit causae, quam ille agebat, eamque efficaciter scriptis suis promovit. Inter ejus prima pericula poëtices censetur versio poëmatis Gallici, inscripti: *le Roman de la Rose*, ex quo etiam in componendis postea primariis suis poëmatibus multum hausisse Chaucerum, dicunt. In illo poëmate satis longo, quamvis proprie *ars amatoria* celebratur, praeter alias multas satiras, monachi quoque Mendicantes aspere exagitantur. In ea parte, quam composuit Johannes de Magduno, plura ex opere Guilielmi de Sancto Amore, *De periculis novissimorum temporum*[2], delibata esse

---

[1] Cf. Lewis, p. 201. — [2] Vid. supra p. 68. not. 1.

videntur [1]. Imprimis autem Chaucerus vividis depinxit coloribus mores fraudesque monachorum Mendicantium in fabulis suis, inscriptis: *the Canterbury Tales*, quas, ad exemplum Decamerones Boccacii magnopere conformatas, composuit in castello suo Dunningtoni sub quercu, quam Chaucerianam vocarunt. In his vel maxime cernitur vis ejus ingenii, et comica, et satirica. Optima vero hujus generis scripta in lucem demum edidisse Chaucerus, post mortem Wicliffi, fertur [2]: quae quidem, quippe patrio scripta sermone, multum legebantur illo tempore, tam ab hominibus excultis, quam ab indoctis, magnamque habebant vim in populum Anglicum, ad huic persuadendum de corruptione Ecclesiae. Quod affirmandum praecipue videtur de poëmate Longlandi, quod deinceps plurimi aestimatum fuit a Lollardis, sive Wicliffitis; utque illud conserva-

---

1 Poëma illud, Gallorum hoc tempore deliciae, diu post non tantum eorum *Ennius*, linguae ratione habitâ, verum etiam, ob poësin, eorum *Homerus* fuit, à quo, ceu fonte perenni, multorum vatum ora rigabantur aquis Pieriis. Guilielmus de Lorris (oppidulo provinciae Vastinii), florens saec. XIII. († 1260 vel 1262), incepit poëma; perfecit autem majorem partem, 40 annis post, itaque initio saec. XIV, Johannes de Magduno (Jean de Meun, vel Meung, vel Mehun, cognominatus Clopinel), Dantis Alighierii aequalis. Johannes ille in familiaritatem aulicorum Philippi Pulcri receptus fuit. Contra hocce poëma scripsit dein Gersonius. Vid. *Praefatio* Editionis hujus poëmatis, quae prodiit Amstelodami. 1735. 3 Tom. (*Le Roman de la Rose ..... Revu sur plusieurs Editions et sur quelques anciens Manuscrits.*)

2 Cf. Baleus, Cent. 7. p. 525 sq. — Henry, op. laud. Vol. IV. cap. IV. §. 2. — Hallam, Vol. III. p. 575 sqq. — De Chateaubriand, *Essai sur la Littérature Anglaise*. Par. 1836. Vol. I. p. 104 sqq.

retur, horum imprimis curâ factum est. Placuit adeo hocce poëma tantopere populo, ut alii, in hujus gratiam, saepius imitando id expresserint[1].

Itaque poëtae hoc aevo idem tentarunt, quod Wicliffus spectavit per totam vitam, emendationem scilicet morum; hoc tamen discrimine, ut hic vitia reprehenderit serio et summâ cum gravitate, illi vero ridendo dixerint verum et ratione satiricâ, quae quidem ratio haud minus efficax esse solet.

Occurrens autem Wicliffus pravitati monachorum in Universitate Oxoniensi, multis nominibus hanc sibi devinxerat: neque minus etiam bene ab illâ habitus est. Etenim Collegium Balliolense, anno 1361, Wicliffum donavit beneficio Ecclesiastico in parochiâ Fillinghami, sitâ in dioecesi Lincolniensi[2], cujus beneficii reditus satis largi erant. Eodem quoque anno Praepositus illius Collegii optatus est[3]. Conditum erat Balliolense

---

[1] Ex. g. brevi post obitum Wicliffi, prodiit libellus, scriptus, ut putant, ab aliquo ex Wicliffi asseclis, titulo: *Peirce the plowman's creed* (τὸ Credo Petri aratoris). Auctor hujus carminis satirici egregie depinxit mores fratrum Mendicantium: inter alios, inducitur Minorita, qui callide pecuniam homini cuidam pio subripere studet, promisso ei summae in hac terrâ laudis, ac gloriae coelestis, praemio; tum etiam describitur monasterium aliquod Praedicatorum. Typis mandatum est hoc poëma, Londini. 1553. 4°. — Vid. Excerpta quaedam ex eo apud Lewisium. p. 307 sqq. Cf. etiam Vaughan. Vol. II. p. 149. — De Chateaubriand, op. laud. Vol. I. p. 90. — Fabulae aratoris, *the plowman's Tale*, analysis quaedam exstat apud Vaughanum Vol. II. p. 157 sqq.

[2] Cf. Vaughan. Vol. I. p. 272. not. 10.

[3] Wood, Lib. II. p. 73. Aula hujus Collegii nunc ornata est

Collegium a Johanne de Balliolo, Equite, regis Scotorum hujus nominis patre, anno circiter 1268, valdeque erat locupletatum liberalitate Dervorguillae, viduae Johannis. Patet ex Collegii statutis, debuisse publice uti scholares sermone Latino, atque praescriptas fuisse crebras disputandi exercitationes, moderante Praeposito. Wicliffus huic Collegio praefuit per quatuor annos [1]; namque anno 1365 factus est Custos, sive Praepositus, Aulae Cantuariensis, recens conditae (1363) ab Archiepiscopo Cantuariensi, Simone Islepio [2], viro, non minus ob pietatem, quam propter eruditionem, nobilitato.

Fama igitur probitatis et doctrinae Johannis Wicliffi jam extra Academiae fines percrebuisse hoc tempore videtur, ad aures saltem principis in regno Ecclesiastici pervenerat. Verum tenendum est etiam, Islepium ejusdem Collegii quondam fuisse socium, in quo institutus fuit Wicliffus. Magnam fuisse Islepii de eo opinionem, atque benevolentiam erga eum insignem, apparet ex instrumento, quo Praepositi munus in eum contulit. *Ad vitae tuae*; sic ei scripsit, *et conversationis laudabilis honestatem, literarumque scientiam, quibus personam tuam in artibus magistratam Altissimus insignivit, mentis nostrae oculos*

---

cum aliorum virorum, tum etiam Wicliffi effigie. Vid. *The Oxf. Univ. and City Guide.* p. 116. — [1] Wood, Lib. II. p. 69 sqq.

[2] Wood, Lib. II. p. 338. Hodie haecce Aula pars est Collegii Aedis Christi (*Christ Church*), restauratis parietibus exeunte saec. XVIII. Cf. *The Oxf. Univ. and City Guide.* p. 154.

*dirigentes, ac de tuis fidelitate, circumspectione, et industria plurimum confidentes, in custodem Aulae nostrae Cantuar., per nos noviter Oxoniae fundatae, te praeficimus*, etc.[1]. Diu autem hoc munere functus non est, gravissimâ ex hac nominatione ortâ controversiâ; qua opportunitate Wicliffus Pontifici Romano innotuit. Constituerat nimirum Islepius, praeter Praepositum, undecim in hanc Aulam socios recipere; quorum ut *octo* essent *clerici saeculares*, *tres* vero, uti et *Praepositus Aulae*, *monachi Benedictini* Aedis Christi Cantuariae, ordinatum *canonice* fuisse, quum Aula conderetur, asseverarunt Prior et capitulum Ecclesiae Cantuar. ordinis S. Benedicti[2]. Sed, neque in Simonis Islepii *Chartâ fundationis*, neque in *Regis speciali Licentiâ*, ejusmodi definitio reperitur: in illâ scriptum legitur, »*aulam..... quam pro duodenario studentium numero duximus ordinandam;*" in hac, »*in qua certus erit numerus scolarium, tam religiosorum, quam secularium, artibus scolasticis insistentium*"[3]. Itaque, hoc posito, mentem conditoris eam fuisse, ut monachi Cantuarienses quoque cooptarentur in Aulam, caeteroquin significatum ab eo non est, se velle, ut Aulae perpetuo praeesset monachus. Hoc enim neque effici posse videtur

---

1 Wood, Lib. I. p. 184. Vid. exemplum instrumenti authentici, ex Registro Islep in Archiv. Lambethanis f°. 306, apud Lewisium. p. 240.

2 In *mandato Apostolico*, etc. apud Lewisium. p. 242. — Litis de Aula Cant. integer processus MS. asservatur in Archivis Bibl. Archiep. Lambeth.

3 Cf. N°. I et II. apud Lewisium. p. 235 sqq.

ex iis documentis, quae apud Vaughanum in Appendice Vol. I. exstant [1], quum ibi de *tribus* tantum monachis, a Priore et capitulo Ecclesiae Cantuariensis electis, mentio fiat, et rogetur: »*ut ex his unum tanquam custodem praeficere, eique curam et administrationem Aulae committere dignetur Archiepiscopus.*" Quicquid autem est, primus Praepositus fuerat monachus Cantuariensis, Henricus de Wodehall, theologiae doctor, qui tamen, turbulentus homo quum esset, contentionemque, jam diu clericos regulares inter et saeculares agitatam, aleret, brevi ab Archiepiscopo amotus erat una cum tribus reliquis monachis, substitutis in eorum locum, anno 1365, cum magistro Johanne Wicliffo, tum clericis saecularibus. Islepio autem, anno sequenti, vitâ defuncto, in sedem Archiepiscopalem successit Simon Langhamus, qui, ad ordinem pertinens monachicum, ideoque plurimum favens iis, qui votis erant adstricti, aures praebuit querimoniis rejectorum ex aulâ. Wicliffi cooptationem contrariam esse Chartae fundationis perhibens, et propterea minime legitimam, abrogavit huic munus Praepositi, detulitque monacho cuidam Cantuariensi, Johanni de Radyngate, anno 1367, tribus monachis simul in locum saecularium clericorum restitutis. Mense circiter post, revocatum est illud decretum, et Henricus de Wodehall factus est denuo Aulae Praepositus [2]. Quum vero in hujus substitutionem consentire nollent Wicliffus ejus-

---

[1] N°. V et VI. — [2] Lewis. p. 241. N°. IV. Cf. quoque *Antiq. Brit. Eccl.* auctore Mathiâ Parkero. Hanoviae 1605. p. 249.

que socii, Langhamus in sequestro posuit Aulae reditus, quos potissimum dabat Ecclesia Pagehamensis in dioecesi Cicestrensi: hujus rectoriae enim proventus a rege Eduardo III, ejusdem patrono, qui dicitur, in capite, concessi erant Aulae, in scholarium usus et commoda. Tum autem Wicliffus ab Archiepiscopo summum appellavit Pontificem, Urbanum V. Unde liquet, eum hoc tempore agnovisse supremam Pontificis in rebus Ecclesiasticis auctoritatem atque jurisdictionem.

Quamvis Wicliffus hoc sibi conservare munus valde cupiverit, tamen propterea nullis artibus usus est, ita ut in dubium quidem vocari ejus hac in re integritas nequeat. Sin minus juste agere voluisset, Pontificem arbitrum hujus litis non cepisset, sed Langhami animum omnimode studuisset sibi conciliare. Causae vero aequitate fretus, tranquille exitum exspectavit. Urbanus de re cognoscere jussit Cardinalem Andruynum, coram quo Viterbii in Italiâ egerunt Wicliffus ejusque socii per procuratorem suum Richardum Bangerum, unum ex clericis saecularibus, recens ex Aulâ ejectis per Langhamum. — *Idem Andruynus Cardinalis*, (uti legitur in mandato Apostolico [1]), *prout ei melius et utilius pro statu dicti Collegii videretur, posset a dicto Collegio clericos seculares amovere, vel, si ei utilius videretur pro Collegio supra dicto, religiosos supra dictos ab ipso Collegio, auctoritate praedictâ, amovere, ita quod unicum et solum Collegium regularium vel secularium remaneret, cum potestate etiam*

[1] Lewis. p. 241 sqq. N°. V.

*in dicta causa simpliciter, et de plano, ac sine strepitu et figurâ judicii, procedendi.* Tandem anno 1370 Langhami decretum ratum fecit auctoritas Apostolica, et Wicliffo ejectisque clericis saecularibus silentium est impositum. Insuper, spretis conditoris statutis, mandatum est, ut soli deinceps monachi Cantuarienses, exclusis saecularibus clericis, in Aulam reciperentur. Quod Pontificis mandatum, rogantibus Aulae sociis, confirmavit rex, anno 1372; dicens tamen in hoc confirmationis edicto, Chartam fundationis, munitam literis regiis, violatam fuisse, tam ab Islepio, quam a curiâ Romanâ, »*contra formam licentiae suae.*" Hujus vero culpae rex oblivisci voluit, quod ipse in eodem documento fassus est, quoniam »*Prior et conventus Aedis Christi Cantuariae* (cujus monachi in Aulam cooptabantur) *ducentas marcas ipsi solverant*" [1].

Quia hanc Wicliffus tulit repulsam, factum esse statuerunt nonnulli scriptores, ut, iratus Pontifici Romano, ab hoc inde tempore hujus se opposuerit auctoritati, atque invectus sit acerbissime in Hierarchiam [2]. Longe vero aliter de eo judicandum videtur. Animadvertendum enim est, diu ante, quam privaretur munere Praepositi Aulae Cantuariensis, non solum aversatum

---

1 Vid. *Regia Pardonatio* etc. apud Lewisium. p. 246 sqq.

2 Nic. Harpsfield, *Hist. Wicl.* cap. I. (in *Hist. Angl. Eccl.* p. 667 sq.) — Wood, Lib. I. p. 184. — Du Pin, *Nouv. Bibl. des Auteurs Eccl.* Tom. XII. p. 128. — Mosheim, Vol. V. p. 291; alii. Paulo aequius judicavit hac de re Johannes Lingardus, quanquam in caeteris erga Wicliffum parum benevolus. Vid. *Hist. of England.* Vol. IV. p. 179. Paris 1826.

eum fuisse Cleri depravationem, sed exprobrasse etiam monachis Mendicantibus, vindicibus istis Hierarchiae, flagitia quaeque et fraudes, imo vero restitisse eum fortiter horum libidini dominandi in Universitatem Oxoniensem. Nullum quidem indicium est, Wicliffum propter Pontificis illud decretum aliquam fovisse simultatem; et, testante Vaughano, nusquam in scriptis ejus, quae huc usque examinata sunt, mentio fit istius rei, vel ad eam respicitur. Tantum igitur abfuit, ut pravâ ambitione ductus fuerit, ut, interea dum deliberabatur etiam de controversiâ circa Praepositum et socios saeculares Aulae Cantuariensis, ipsius adeo Romani Pontificis avaritiae et iniquitati non pepercerit, prouti mox videbimus.

Controversiae autem Universitatem Oxoniensem inter et monachos Mendicantes, cujus particeps tantopere fuit Wicliffus, hunc interim habuerunt effectum, postquam frustra jam prodierant plura edicta contra fratrum arrogantiam, ut anno 1366, rei tandem perspecto discrimine, a Parliamento solenni statuto [1] cautum sit, ne quis scholaris, duodeviginti annos nondum natus, in sodalitia monachorum reciperetur: severe simul admonebantur Mendicantes, ut in posterum abstinerent ab arrogandis sibi privilegiis in Universitatis detrimentum efflagitandisque contra eam bullis papalibus, et utrique litigantium parti valde suadebatur, ut pacem conciliarent. Praescriptum tunc quoque est, ut lites, quae oborirentur

[1] Apud Lewisium. p. 4 sq.

Universitatem inter et monachos, in regis curiâ perorarentur absque ullâ provocatione ad aliud tribunal; nam placere, ut hisce mandatis obsistentes punirentur arbitrio regis ejusque concilii. Sed vel sic tamen a monachis Cantuariensibus, in commodum Praepositi et scholarium Aulae Cantuariensis Oxonii, impetrata est anno 1375 a Gregorio XI bulla quaedam, gratiam faciens Universitatis statuti, quo erat cautum, »*ut nullus ad honorem Magisterii in theologiâ assumeretur, nisi prius rexisset in artium facultate*" [1].

[1] Vid. bulla haec *pro dispensatione cum statuto Univ. Oxon.* etc. apud Lewisium. p. 251 sqq

## CAPUT III.

WICLIFFUS, PROFESSOR OXONIENSIS (1372) ET RECTOR ECCLESIAE LUTEROVORTI (1375), SCRIPTIS ET CONSILIIS HIERARCHIAM ROMANAM IMPUGNAT.

*Ab anno 1367 ad annum 1380.*

Huc usque cum Johanne Wicliffo familiaritatem quandam contraximus, quum instituebatur in Universitate Oxoniensi, seque imbuebat artibus et doctrinis, deinde quum ibidem praepositus erat Collegio cuidam vel Aulae; nunc autem eundem, fungentem gravissimis in Universitate et Ecclesiâ muneribus, variisque honoribus a rege ornatum, interius cognoscere licebit.

Diximus supra, Wicliffum se opposuisse jam Pontificis Romani avaritiae et injustitiae, quo tempore lis de Aulâ Cantuariensi nondum erat diremta. Scilicet

mores universi Cleri in Angliâ reformare studens, perspiciebat magis magisque vitia et abusus, quae ubivis in Ecclesiâ obtinebant, atque imprimis improbabat auctoritatem istam principis Cleri satis molestam, tum in nullas non res ad Ecclesiae pertinentes regimen, disciplinam, doctrinam, tum vero etiam in negotia civilia. Primâ igitur opportunitate Hierarchiam Romanam aggredi paratus erat, ut vim ejus in Angliam frangeret. Quae opportunitas ei data fuit, anno 1367.

Etenim Urbanus V, Avenione commorans, instigatus fortasse a rege Galliae, bellum adversus Anglos infeliciter gerente, poposcit, anno 1365, ab Eduardo III tributum mille marcarum, quod rex Johannes, quum sceptrum Angliae et Hiberniae tradidisset Papae Innocentio III, et ab hoc regna illa tanquam feuda recepisset, se, vasallum sedis Apostolicae, Papae, feudi domino, singulis annis esse soluturum, stipulatus erat. Filius Johannis, Henricus III, ad regnum accedens, fidem suam Papae obstrinxerat; sed postea, prudenter tempori cedentes, hoc tributum vel solverant, vel retinuerant successores. Jam triginta duobus vel tribus abhinc annis erogatum non erat [1]. Urbanus autem regi insuper per legatum annuntiavit, se eum in curiam suam esse citaturum, nisi obtemperaret. Eduardus vero, vir bellicosus, victoriis de Gallis reportatis elatus, et prudentiâ animique fortitudine insignis in administrandis rebus civilibus, servilia Papae praestare

[1] Rapin, *Hist. d'Anglet.* Tom. III. p. 228.

officia noluit. Contemnens ergo minax illud mandatum, rem ad Parliamentum insequenti anno detulit. Solebat enim de rebus gravioribus cum Parliamento communicare et deliberare, ut audiret hujus sententiam, atque obtineret ejusdem assensionem: quo factum, ut, regnante eo, et dignitas Domus superioris creverit, et Domus inferior majorem habuerit vim[1]. Parliamentum,

---

[1] Hujus distributionis Parliamenti in *Domum superiorem* (Lords) et *Domum inferiorem* (Commons), origo repetenda videtur a convocatione, quam fecit Comes Licestriensis, Simon de Monteforti, qui, anno 1264, ut suam stabiliret causam, ad Parliamentum, constans ex Praelatis, Proceribus et Magnatibus (Archiepiscopis, Episcopis, Comitibus et Baronibus, Abbatibus et Prioribus), evocabat etiam duos ex quolibet comitatu Equites, duosque delegatos ex quâlibet civitate liberâ. Initio regni Eduardi III, Parliamentum saepius in tres se divisit partes, quae singulae separatim de rebus deliberarent, mox vero in unum denuo se congregarent; trium harum sectionum auditis sententiis, communi assensu totum corpus responsum dedit. Itaque accedebant Clerici: Comites, Barones et Equites: ac cives ex urbibus et burgis. Post annum vero 1343, Senatus in duas partes distribui solitus fuisse videtur: tunc conveniebant in Domum superiorem Comites, Barones, et magni Praelati; in Domum inferiorem, ex comitatibus Equites, ex urbibus et burgis cives potentiores et honesti. Nam Ecclesiastici inferioris ordinis, paulo ante hunc annum, convenire ad Parliamentum amplius noluisse videntur. Cf. Henry. Vol. IV. cap. III. §. 4. Convocabantur potissimum regni Ordines, ut regi, petenti, pecunias addiceret; tum etiam legum ferendarum ergo. Initio tamen Communes, si de legislatione ageretur, ad *consentiendum* tantum convenisse videntur. Sub rege vero Eduardo III, constitutum est, ut legum ferendarum jus competeret regi et utrique Domui conjunctim: tunc formula invaluit, *Lex sancita est a rege, rogantibus Communibus, et consentientibus Magnatibus et Praelatis.* Vid. Hallam. Vol. III. p. 70. qui, regnantibus maxime Eduardo III, Richardo II, et Henrico IV, Angliae regiminis formam sensim magis emendatam esse censet. cf. Vol. III. p. 62.

habitum Westmonasterii anno 1366, in quo valde dominabatur studium libertatis, uno animo declarabat, neque Johanni, neque alii regi unquam fuisse potestatem subjiciendi istâ ratione regnum Angliae Pontifici Romano: quodsi hic perseveraret in postulatione illâ iniquâ, se, cum toto populo, regi suo esse subventuros [1]. Ab hoc inde tempore Pontifices intellexisse videntur, infinitam se persequi spem, si hanc rem, auctoritate fortius interpositâ, urgerent. Destiterunt igitur ab incepto, et Anglia liberata deinceps fuit ab isto tributo [2].

Parliamenti illa declaratio placere profecto non poterat Hierarchiae vindicibus: idcirco mirum fuisset, ni monachus aliquis prodiisset ad defendendam Papae postulationem. Mox quoque edita est a monacho defensio quaedam, nomen auctoris non professa: quo in libello scriptor provocabat Wicliffum nominatim, ut refutaret ipsius argumenta pro justâ Papae postulatione, et defenderet senatus Angliae consultum. Hinc

---

[1] Hume, *Hist. of Engl.* cap. 16.

[2] Ab hoc tributo rite distinguendum est illud, quod *Romanum s. stipendium Petri* vocabatur, et ad annum usque quintum regni Henrici VIII Papae erogatum est. Originem istud stipendium duxit ab Ina, rege Wessexiae, qui per regnum suum colligebat stipem, quâ sustentaret scholam, Romae ab ipso conditam ad clericos Anglos instituendos. Initio tributum fuit voluntarium, deinde vero Pontifices id postularunt tanquam debitum. Egbertus, quo auctore Heptarchia Anglo-Saxonica in Monarchiam abiit, hoc tributum per totam exegit Angliam. Vid. C. F. Stäudlin, *Allg. Kirchen-Gesch. von Grosbrit.* Vol. I. p. 80 et 259, not. 44. — Adeo iratum fuisse Eduardum III narrant, ut tunc hoc Petri stipendium solvere etiam noluerit.

rursus apparet, palam hoc tempore jam multis factam fuisse Wicliffi sentiendi rationem. Hanc igitur provocationem promte suscepit, ad vindicandam patriae suae libertatem adversus Pontificis avaritiam et dominandi libidinem, atque anno 1367 dedit responsum, titulo: *Determinatio quaedam magistri Johannis Wyclyff de dominio contra unum monachum*[1]. Monachi illius ratiocinatio et sententiae summatim cognosci possunt ex responso Wicliffi, qui sui adversarii quoque propositum his indicavit verbis: *Tres causae dictae sunt mihi, cur homo facit; primo, ut persona mea, sic ad Romanam curiam diffamata, et aggravatis censuris, ab Ecclesiasticis beneficiis sit privata. Secundo, ut exhinc sibi et suis benevolentia Romanae curiae sit reportata. Et tertio [tam ut], ut, dominante domino Papâ regno Angliae liberius, copiosius et voluptuosius sine freno correptionis fraternae sint Abbathiis civilia dominia cumulata.* Tota autem quaestio erat de potestate saeculari Pontificis Romani, quae diu in Europâ Occidentali agitata fuit clericos inter et viros politicos. Affirmaverat monachus, imperium Angliae, tributo diu non soluto, reapse devenisse in manus Papae; atque insuper asseruerat, »*quod in nullo casu licet, viros Ecclesiasticos coram seculari judice conveniri.*" Jam vero Wicliffus in suo responso dicit: *Ego autem, cum sim peculiaris Regis clericus, talis qualis volo libenter induere habitum respon-*

---

1 Servatum est hoc Responsum inter Codd. MSS. Joh. Seldeni, et typis mandatum a Lewisio, pag. 363—371.

*salis, defendendo et suadendo, quod Rex potest juste dominari regno Angliae, negando tributum Romano Pontifici: et quod errores, regno impositi, sunt falsi, et sine evidentiâ rationis, vel legis, sibi impositi. Sed sub conditione hoc assero, quod doctor induat habitum responsalis vel argutoris, se objiciens ex adverso, quod sit falsum et pseudo-Euangelicum, quod domini temporales possunt in aliquo casu legitime auferre ab Ecclesiasticis bona sua.* Haec professus, causam suam ita agit, ut demonstret, ratiocinationem adversarii falsam esse, quae huc redit: » *Omne dominium donatum sub conditione, ad conditionis destructionem, dissolvitur: sed dominus Papa donavit Regi nostro regnum Angliae, sub conditione, quod Anglia 700 marcas solveret curiae annuatim, quae conditio per tempus et tempora est substracta: ergo Rex Angliae olim decidit a vero dominio Angliae*" [1]. Illud enim ipsum, quod verum esse sumebat monachus, in disceptatione versabatur, num scilicet jure suo ejusmodi conditionem Papa statuere, accipere rex Angliae potuerit: quod negaverat Parliamentum. Wicliffus non suis ipsius argumen-

---

1 *Johannes rex — totum regnum Angliae et Hiberniae Deo et beato Petro Apostolo, ejusque vicario catholico, Innocentio Papae III, successoribusque catholicis, in remissionem peccatorum suorum totiusque generis sui, in 1000 marcis, scil. pro Anglia 700, et pro Hibernia 300, constituit censuale.* Sunt verba Nicolai Triveti, (apud Lewisium. p. 368. not.), monachi Dominicani, qui floruit exeunte saec. XIII, et scripsit Annales Angliae ab anno 1130 ad 1307.

tis infringit thesin illam, sed refert septem oratiunculas quorundam saecularium Dominorum de eâdem causâ. *Ego autem* (inquit) *tanquam humilis et obedientialis filius Romanae Ecclesiae protestans, me nihil velle asserere, quod sonaret injuriam dictae Ecclesiae, vel rationabiliter offenderet pias aures, — transmitto doctorem meum reverendum ad solutionem hujus argumenti, quam audivi in quodam concilio a Dominis secularibus esse datam.* Nimium longus essem, si has oratiunculas hîc insererem: sunt autem perdignae, quae legantur. Juvat tamen specimen quoddam dare. »*Primus Dominus, in armis plus strenuus, fertur taliter respondisse. Regnum, inquit, Angliae per gladium suorum procerum ab olim quaesitum est, et contra hostes invadentes eodem gladio defensatum. Sic enim tributum, violente exactum a Julio Caesare, fortificato regno, rationabiliter est subtractum. — Cum ergo sit idem judicium de dicto redditu Romanae curiae, sane consulo, quod negetur penitus, nisi Papa manu validâ ipsum poterit extorquere. Quod si temptaverit, meum est pro jure nostro resistere.*" Tertius Dominus, inter alia, haec dixisse fertur. »*Cum Papa sit servus servorum Dei, probatur, quod non reciperet vectigal de Anglia, nisi propter ministerium persolvendum. Cum ergo non aedificat regnum nostrum, nec spiritualiter, nec corporaliter, sed, defalcando temporalia per se et suos, comfortat pecuniâ, favore, et consilio, inimicos* (scil. Gallos), *videtur, quod debemus provide praemissam petitionem subtrahere*" etc.

Dominantur omnino in hisce oratiunculis patriae amor, ardor libertatis, justi et aequi sensus, odiumque adversus despotismum papalem: festive omnia, subinde ironice, proferuntur, argumentisque confirmantur, ductis ex juribus et consuetudinibus Angliae, atque Codice sacro. Postquam autem illos Dominos loquentes introduxit, sic Wicliffus suam concludit disputationem: »*Ideo probatur, nisi doctor probaverit mihi, contra rationes Dominorum Angliae, rationabilitatem illius conditionis expositae, ratio illa non militat contra justitiam domini Regis nostri, sed, si non fallor, ante diem, in quo cessabit omnis exactio, non rectificabit* (monachus iste), *quod haec conditio fuerit rationabilis et honesta.*"

Utrum vero Domini quidam reapse haec locuti sint, quae eos loquentes fecit, dubitaverim. Potius rem sic mihi propono. Wicliffus in hac disputatione propriis verbis enuntiavit sententias, quae, quod ad summam attinet, a nonnullis eorum, qui Parliamento interfuere, erant prolatae; atque, quum illae simul sua ipsius essent placita, hanc optimam causae agendae rationem existimavit, si monacho, ipsum provocanti, responderet iis argumentis, quibus, tributum Papae denegandum esse, affirmaverat Parliamentum. Itaque Wicliffus in hoc responso expressit popularium suorum hoc tempore opiniones de auctoritate papali, eorum maxime, qui populum repraesentabant.

Admiramur utique hac in causâ viri integritatem animique fortitudinem, qui semet ipsum non respexit,

(erat enim controversia de Aula Cantuariensi tunc a Papâ nondum dijudicata), ubi patriae et libertatis res adversus ipsum Pontificem Romanum erat agenda. Observandum etiam est, Wicliffum se ipsum nominare in hoc libello, *peculiarem Regis clericum:* quamobrem, *Capellani regii* titulo, *honoris causa*, ornatus fuisse videtur [1].

---

Quae vero postea, ad annum 1372, fuerint Wicliffi fata, quaeve peregerit, magnam partem nos latet; nonnulla tamen innotuerunt. Vitae conditio externa eo immutata fuit, quod anno 1368 pro beneficio, in parochiâ Fillinghamensi, accepit aliud beneficium Ecclesiae Lutgershalli, pertinentis quoque ad dioecesin Lincolniensem [2]. Praeterea Wicliffi mentem, hoc temporis spatio, percipere quodammodo possumus, ratione habitâ memorabilis cujusdam libelli, qui a Parliamento anno 1371 regi traditus est, valdeque congruebat cum ipsius Wicliffi eâdem de re sententiis.

Domini nempe saeculares, praesertim Communes, a rege petebant, ut clerici omnes in posterum arcerentur a gerundis muneribus et honoribus in civitate. Erat

---

1 Hanc sententiam professi sunt Lewisius, Lingardus, Vaughanus. — Profecto in animi ingrati crimen venit postea rex, qui in detrimentum peculiaris sui clerici, praeclare de republicâ meriti, confirmabat iniquum Pontificis decretum de Aulâ Cantuariensi.

2 Vaughanus, Vol. I. p. 272. not. 10.

sane novi quid ejusmodi rogatio. Nam, quum inter clericos semper fere reperirentur viri, caeteris, cum nobilibus, tum populo, perspicaciores et cultiores, haec hominum classis vim magnam habere solebat in res gentium politicas, summisque in regno perfungi dignitatibus. Sic in Anglia, regnante Eduardo III, Langhamus, Archiepiscopus Cantuariensis, fuit regni Cancellarius; Johannes, Episcopus Butoniae et Ecclesiae Fontanensis, aerarii Quaestor; Guilielmus Wickhamus, Archidiaconus Lincolniensis, Custos sigilli [1]; Ashbius, Archidiaconus Camudolani, Cancellarius fisci; alius clericus praeerat vestitui regio, aedificiis et regis palatio alius [2]. Haec igitur clericorum dominatio Anglis valde molesta fiebat hoc tempore, quo universi populi per *repraesentationem*, quae dicitur, vis et auctoritas vigere illic jam coeperat. Rogantibus autem, ut aboleretur iste abusus, respondit rex, se id esse facturum, quod concilio suo videretur [3]. Atque patet,

---

[1] Celebratissimus ille vir, anno 1324 natus, Episcopus Vintoniae postea fuit. Erat versatissimus in administratione rei pecuniariae publicae; architecturae quoque valde peritus, praefuit construendo palatio Vindesorii. Excellebat insuper scribendi loquendique quâdam elegantiâ. Quocirca regis Eduardi favorem his facultatibus imprimis sibi conciliavit. Mortuus est anno 1404. Cf. Bayle, *Dict.* in voce.

[2] Stäudlin, op. laud. Vol. I. p. 259.

[3] Vid. Hallam. Vol. III. p. 80. — Concilium illud fuisse *curiam Regis* opiner, ab Eduardi I tempore dictam, *the King's privy council*, cui intererant summi viri, et civiles, et Ecclesiastici: inque eo deliberabatur de controversiis ad politicam spectantibus et ad reditus publicos, interdum rex libellos Parliamenti tradebat ei examinandos et dijudicandos. Cf. Hallam. Vol. III. p. 205 sqq.

rationem eum habuisse hujus libelli: nam, etiamsi diutissime post idem apud Anglos mos invaluerit, tamen mox deinde Wickhamus et Episcopus, qui aerarii tunc Quaestor erat, officiis suis civilibus sponte abdicarunt [1].

Hanc Cleri officiorum cum rebus civilibus conjunctionem improbabat quoque Wicliffus, uti scriptis ejus comperimus. Quaeri proinde possit, num forte Wicliffi studio et operâ inductum fuerit Parliamentum ad regem rogandum, ut viri Ecclesiastici, munus civile ambientes, in posterum repulsam ferrent. Affirmando ad id responsum est [2]. Erat quidem Wicliffus hoc tempore bene cognitus regni senatoribus et ipsi Eduardo, neque suas tantum cogitationes volvebat de Ecclesiae abusibus et corruptione, verum etiam palam facere suas sententias et emendationis consilia haud recusabat, ut patriae Ecclesiae, atque adeo totius orbis Christiani conditioni, in multis deplorandae, prospiceret. At vero caveamus, ne tantopere caeteris perspicaciorem hunc nobis informemus virum, ut omnia illius aevi studia saniora ei debuisse Anglos dicamus, praesertim, quum ipsum populum tunc jam questum esse constet de Hierarchiâ. Existimemus potius, studia, quae aderant, vim habuisse magnam ad explicandum Wicliffi ingenium, eumque haud parum profecisse ab aequalibus suis; vicissim vero populares etiam multum ei debuisse. Illud nimirum satis notum est, Wiclif-

---

[1] Cf. Bayle, in voce: *Wickam.*
[2] Vid. ap. Vaughanum. Vol. I. p. 308. not. 15.

fum omnem impendisse operam, tempus, et curam, disserendo, scribendo, concionando, ad emendandam Ecclesiam Anglicanam atque vindicandum imperium civile ab Hierarchiae vi; neque minus pervulgatum est, plures hoc ipso saeculo in Anglia, maxime ex Parliamenti senatoribus, idem illud exsequi fuisse conatos: quatenus vero horum conatibus adjumento fuerint Wicliffi studia, atque conjunctis viribus illi egerint, indicatu difficile saepe est, imo vero, id ubivis velle explanare, res temeraria subinde foret. Etenim viri praestantiores et efficaces, in hominum luce versantes, haud raro, ipsi nescii, vim exserunt in aequales suos. Attamen si verum sit, Ducis Lancastriae operâ clandestinâ factum esse, ut Parliamentum libellum, modo laudatum, regi tradiderit, atque si hoc jam tempore illustrissimus Dux consuetudinem cum Wicliffo junxerit, explicari fortassis possit mira similitudo sententiae Parliamenti et Wicliffi de Ecclesiasticis arcendis a gerundis muneribus civilibus. Praeterea si constaret de tempore, quo in lucem edita fuerunt scripta illa Wicliffi, in quibus haec similitudo opinionum cernitur, veri etiam multo similior fieret nostra conjectura. Quotiescunque enim Wicliffus de hoc agit argumento, multus esse solet. Statuebat, adversari naturali officio clericorum, eos honoribus et muneribus in civitate fungi, et hoc contrarium esse Apostolorum ipsiusque Christi enunciatis, neque Patrum Ecclesiae niti auctoritate. Conquerebatur igitur saepenumero, illos, qui coetum Christianum docere et admonere atque gregis esse boni pastores debebant, turpiter deserere offi-

cia sua, ut, levitati indulgentes, res persequerentur inanes[1]. Hujus autem negligentiae culpam non solum residere, aiebat, in ipsis clericis, verum etiam in Do-

---

1 *Prelates*, inquit Wicliffus, *and great religious possessioners, are so occupied in heart about worldly lordships, and with pleas of business, that no habit of devotion, of praying, of thoughtfulness on heavenly things, on the sins of their own heart, or on those of other men, may be preserved; neither may they be found studying and preaching of the Gospel, nor visiting and comforting of poor men.* Locus desumtus est ex MS. quodam C. C. C. Cantabr., inscripto: *For three skills* (reasons) *Lords shulden constrain Clerks to live in meekness, wilfull poverty, and discreet penance and ghostly traveile.* Vid. Vaughan. Vol. I. p. 315. Festive et vere alibi depinxit principum sui temporis clericorum vanitatem et luxuriam. *Prelates*, ait, *comen instead of Apostles, and seyn that they suen Christ, and his Apostles, in manner of living. They owen to be most meke of all other, and most busy and studying and teching of holy Writ, and ensample of all good manner of life, both to Cristen men and to Hethen. But they ben so choaked with talow of worldly goods, and occupation abouten them, that they may not preache the Gospel, and warne the people of the Devil's deceits. Prelates maken themselves most unable to keep the Gospel of Christ, by their great business abouten rotten goods, and by pomp and boast of this world, for they ben most busy of all men in the world to getten worldly goods by purchase, and to holden them by false plea. O Lord! what token of mekenes, and forsaking of worldly riches is this? A Prelate, as an Abbot or a Priour, that is dead to the world, and pride and vanity thereof, to ride with fourscore horse, with harness of silver and gold, and many ragged and fittred squires, and other men, swering heart, and bones, and nails, and other members of Christ and to spend with Earls and Barons, and their poor tenants, both thousand marcs and pounds to meyntene a false plea of the world, and forbare men of their right.* Apud Lewisium. p. 37.

minis laicis, qui eos avocarent a curâ pastorali, inque suis aulis ornarent quibusvis aliis officiis et vanis honoribus. »Quod sane, dicit alicubi, neque Praelatos, neque doctores, neque diaconos, neque alios quotquot pertinent ad Clerum, decet, fungi muneribus ejusmodi, qualia sunt dignitates Cancellarii, Quaestoris, Custodis sigilli, Curatoris fisci, caetera; praesertim hoc minime eos decet, quum adsint inter laicos viri, ad perfungendum illis officiis idonei [1]."

---

Sic igitur Wicliffus, suis sententiis communicandis cum gente suâ de rebus Ecclesiasticis, egregie jam profuit causae Religionis et Ecclesiae. Imprimis vero illam instaurare apud populares suos, emendare hanc studuit, a quo inde tempore in Oxoniensi Universitate munere Magistri regentis sive Professoris functus est. Conscripto, ut putant, anno 1372, tractatu quodam *De exhortatione novi doctoris* [2], pro gradu in theologiâ doctorali, hanc disciplinam illic publice profiteri coepit; ex quâ docendi ei concessâ licentiâ colligere licet, quam bene Academia Oxoniensis aestimaverit de eruditione et pietate illius, qui a summo Pontifice, brevi tempore ante, privatus erat munere Praepositi Aulae Cantuariensis. Valde quoque acceptam fuisse

---

[1] In opere: *Ecclesiae Regimen*, MS. de quo vid. omnino Vaughan. Vol. I. p. 314. not. 18. Vol. II. p. 396.

[2] MS. asservatur in Bibl. Pal. Vindob. vid. Baber, p. XLIV.

ipsi Wicliffo ejusmodi provinciam, ad quam suscipiendam admodum idoneus videbatur, facile intelligimus. Viro enim illi efficaci, qui ipso virilis aetatis flore erat, (natus tunc annos circiter octo et quadraginta), via aperiebatur nova et ampla, quâ saniores suas de religione Christianâ potissimum sententias communicaret cum viris in regno Angliae eruditissimis, et cum futuris presbyteris ac doctoribus; tum vero etiam, propagans sua placita per celeberrimam Angliae Scholam, unde universo populo lux oboriebatur, poterat loco hocce, quo erat, superiore eximie providere emendationi Ecclesiae Anglicanae.

Habuit autem Wicliffus lectiones, quae vocabantur *cathedrales*. Nam duplex erat in Academiâ Oxoniensi praelectionum genus; habebantur lectiones *statae*, quas etiam *ordinarias* appellabant, et *cathedrales*, illis antiquieres et spectantes praesertim ad theologiam, quibus, regnante Henrico III, stipendium assignatum erat. Wicliffus igitur in plures annos hisce lectionibus cum summo auditorum applausu defunctus esse dicitur [1], *ita ut* (ait Lelandus [2]) *omnia, quae doceret, tanquam e tripode dicta, crederentur*. Pergebat quoque increpare in clericos, maxime in monachos Mendicantes, vitia et perversitatem ipsorum, et (uti Lelandus quoque testatus est) *in publicis praelectionibus atque alias privatim, vellicabat Romani Pontificis astum, avaritiam, ambitionem, ac tyrannidem; sic putans futurum, ut Christiana Ecclesia,*

[1] Vid. Wood. lib. II. p. 31. — [2] Apud Baleum. Cent. 6. p. 450.

*cognitis erroribus, resipisceret.* Denique in doctrinam Ecclesiae Romano-catholicae, datâ operâ, inquirens, multa dogmata impugnare palam aggressus est. Simul vero complures commentationes et quaestiones, ad philosophiam et theologiam pertinentes scholasticam, quarum multae adhuc exstant, tunc ab eo conscriptas fuisse, admodum verisimile est. Et quidem per omne, quo professoris munere functus est, tempus, theologum se praestitit talem, qualis, ratione habitâ conditionis hoc aevo theologiae, haud immerito *Doctor Euangelicus* dictus esse videtur. Expressus autem est ille Wicliffi animus, imbutus placitis Christianis, iis imprimis scriptis, quae ad captum omnium accommodata edidit.

Inter scripta, hac fere vitae aetate, ad quam mentem nunc advertimus, ab eo composita, censenda videtur *Expositio Decalogi*[1]. Quod quidem opus erat utilissimum: nam, etiamsi partem quandam notitiae religionis haud contemnendam constituere illis temporibus censeretur Decalogus, legis tamen hujus divinae populum fere ceperat oblivio, eamque addi-

[1] MS., et Anglice, et Latine. Hujus commentationis, quae titulo tantum cognita erat, conspectum et excerpta quaedam primum dedit Vaughanus, Vol. I. p. 320—329. Examinavit ille exemplar, quod exstat inter MSS. Cott. in Museo Brit. vid. Vol. I. p. 320. not. 26. et Vol. II. p. 385. Secutus est Wicliffus distributionem Decalogi receptam etiamnunc ab Ecclesiâ Pontificiâ, quanquam praeceptum *secundum* integrum recitavit et tractavit, quod quidem in multis libris catecheticis Pontificiorum, conflatum cum *primo*, mutilatur.

tamentis, nugis, falsis contortisque interpretationibus contaminabant, efficacitateque destituebant sacerdotes, Pharisaeorum, culicem percolantium, camelum vero absorbentium, similes; vel adeo stupidi hi erant, ut decem illa praecepta nescirent ipsi. Hac de re Wicliffus etiam in scriptis suis questus est [1]; ac praeclare propterea egit scribendo de decem illis legis Mosaicae eximiis mandatis, superstructis fundamento ejus legis, quae animo cujusvis hominis est insita, cujusque effata legislator Israeliticus accommodavit tantummodo, auctoritate divinâ, indoli gentis suae temporisque, quo vixit, rationi. Copiose, dilucide, et convenienter cum doctrinâ Christianâ explicare studuit officia, quae homo erga Deum, creatorem suum, et erga naturae suae socios praestare debet: inque iis explicandis, testante Vaughano, diserte admonuit de excellentiâ et perpetuâ obligatione legis moralis, atque praeterea de generis humani perversitate, de reconciliatione per Christum, de peccatorum remissione, deque gratiae divinae auxilio, admodum necessario ad superveniendas tentationes et consectandam sanctitatem. Oportere homines, dicit,

---

1 Cf. Lewis. p. 38. Haec presbyterorum multorum ignorantia apparet quoque ex sententiâ, quam pronuntiavit, anno 1361, in synodo quadam Simon Langhamus, tunc adhuc Episc. Eliensis: *Quia* (ait) *sine Decalogi observatione salus animarum non consistit, exhortamur, in Domino firmiter injungentes, ut unusquisque pastor animarum et quilibet sacerdos parochiarum sciat Decalogum*, *i. e. decem mandata legis Mosaicae; eademque suo populo subjecto frequenter praedicet et exponat.* Vid. Henr. Wharton, *Auctarium Hist. Dogm.* Jac. Usserii *de Scripturis et Sacris vernaculis.* Lond. 1690. p. 432.

bene tenere legem Dei suasque secundum hanc instituere actiones, quia brevi, qui in hoc mundo nunc vivunt, ex eo sunt migraturi, nudi et inopes, prouti eum intrarunt, nil secum portantes, nisi bona, vel mala facta; ideoque valde damnat hominum incuriam [1]. Ut autem homines praecepta legis divinae lubenter observent, excitat eos commemorando Dei Christique erga hominem amore [2]. Est igitur haec accurata et meditata Wicliffi commentatio non tantum documentum doctrinae praeclarum, verum praebet eadem pii etiam animi testimonium luculentissimum.

Quum sic occupatus erat Wicliffus in tractandâ theo-

---

[1] *Dear God!* (exclamat) *it is a wonder of all the wonders on earth, that from the beginning of our life, even to our last end, we are never weary, either night or day, in labouring for worldly goods, pleasing to our wretched body, which shall here last but a little season, while about the learning of God's law, which shall be food and nourishment for our souls, that either in bliss or pain shall ever last — about such things may we not labour truly to the end, for one hour of the day!* Apud Vaughanum. Vol I. p. 322. Examinavit ille MS. Angl.

[2] *Have a remembrance* (inquit) *too, of the goodness of God, how he made thee in his own likeness, and how Jesus Christ, both God and man, died so painful a death upon the cross, to buy man's soul out of hell, even with his own heart's blood, and to bring it to the bliss of heaven! — All this he did and suffered of his own kindness, without any sin of himself, that he might deliver us from sin and pain, and bring us to everlasting bliss. — It should be full sweet and delightful to us, to think thus on this great kindness, and this great love of Jesus Christ!* Apud Vaughanum, Vol. I. p. 322 et 327.

logiâ, rex Eduardus III, anno 1374, cum aliorum virorum, tum ejus curae demandavit causam quandam, quam illi agerent pro republicâ Angliae adversus Pontificis Romani studium dominandi. Res autem erat haecce.

Ex quo tempore mortuus erat Guilielmus Debellator, continuam fere controversiam habuerunt reges Angliae cum curiâ Romanâ de certis finibus et terminis auctoritatis Pontificiae in res Ecclesiae Anglicanae. Quanquam ante Eduardum III subinde jam obviam itum erat Pontificum arrogantiae, nihilo secius horum ambitio et avaritia in dies erant auctae magis, tandemque eo insolentiae pervenerant saeculo XIV, ut suo arbitrio Pontifices distribuerent munera et beneficia Ecclesiastica in regno Angliae, et quidem plerumque extraneis, sive Gallis, sive Italis. Cum primum enim munus quoddam aut beneficium vacaret, Papa sibi arrogabat *provisionem*, quam vocant, id est, destinabat jam aliquem ex suis clientelis huic muniri beneficiove. Sic autem detrahebatur de praerogativâ regis deque jure capitulorum et patronatus, atque extranei, perditi haud raro homines, fruebantur magnam partem reditibus Ecclesiae Anglicanae. Clerus insuper Romanus, opibus ex Angliâ Romam exportatis, ditabatur, et ipsum Angliae regnum suis exhauriebatur bonis. Accedebat quoque, quod, litibus hinc saepe enatis, Hierarchiae vindices appellabant Pontificem, et regia tribunalia damnum eo contrahebant magnum. Postquam igitur Eduardus III, statim ubi regni habenae ipsi erant traditae, fortiter Papae jam occurrerat despotismo, sed frustra adhuc

operam sumserat [1], tandem omnium bonorum indignatio adeo erupit, ut, anno 1350 et 1353, Parliamentum duo ederet statuta, quibus reprimeret iniquitatem istam et

---

1 »Anno 1343, scribit Thomas Walsinghamus, Papa Clemens iterum fecit in Anglia provisiones duobus Cardinalibus de beneficiis proximo vacantibus, praeter Episcopatus et Abbathias, ad extentam duarum millium marcarum. Quod rex et tota regni nobilitas pati noluit, sed procuratores dictorum Cardinalium, sub poena carceris, Angliam exire coëgit. Et cito post rex direxit Papae illam *famosam* epistolam pro libertate Ecclesiae Anglicanae contuenda.” *Hist. Angl.* p. 161. Est profecto valde memorabilis illa epistola: inter alia rex ita scripsit » — *per impositiones et provisiones sedis Apostolicae, quae solito gravius invalescunt, ipsius* (Ecclesiae Anglicanae) *peculium contra piam voluntatem et ordinationem donatorum, manus occupant indignorum, et praesertim exterorum, et ejus dignitates et beneficia conferuntur pinguia personis alienigenis, plerunque nobis suspectis, qui non resident in dictis beneficiis, et vultus commissorum eis pecorum non agnoscunt, linguam non intelligunt, sed, animarum curâ neglectâ, velut mercenarii solummodo temporalia lucra quaerunt, et sic diminuitur Christi cultus, — clerici dicti regni, viri magnae literaturae et conversationis honestae, qui curam et regimen possent sibi salubriter peragere, et forent pro nostris et publicis consiliis opportuni, studium deserunt, propter promotionis congruae spem ablatam, quae divinae scimus non esse placita voluntati. — Quae singula, et alia, quae ex praemissis sequuntur, incommoda, fuerunt nuper coram nobis in Parliamento nostro generali pro communitate dicti regni palam exposita, unanimi et* f e r v e n t i *petitione subjuncta, ut praedictis dispendiis, quae dictae communitati videntur intolerabilia, celeriter occurramus. Nos autem — ad vos, successores Apostolorum principis, qui ad pascendum, non ad tondendum oves dominicas, ac ad confirmandum, et non ad deprimendum fratres suos, mandatum a Christo suscepit, ista deferimus, votivis affectibus supplicantes.*” etç. ibid. p. 161 sq. Papa quidem rescriptum dedit, sed patet ex literis ejus, eum non habuisse, quod aequâ ratione responderet. p. 162 sq.

superbiam Romani Pontificis. Alterum vocatur *statute of Provisors*, alterum *statute of Premunire*. Secundum illud constituebatur: »si Papa Archiepiscopatum, Episcopatum, vel aliam dignitatem Ecclesiasticam, aliudve munus beneficiumque in Anglia conferat in aliquem, ita ut liberam cooptationem vel praesentationem eo interpellet, haec collatio irrita esto: quicunque in posterum ejusmodi provisiones et reservationes papales introducat in regnum Angliae, vel ad hoc praestet auxilium, conjicitor in carcerem, ex quo si emitti velit, redemtionis pretium solvat regi, necesse erit, fidem simul dans, se non amplius ejusmodi quid esse facturum, neque, propter custodiam, apud curiam Romanam vel alibi litem esse intensurum." — Alterum vero statutum vetuit Ecclesiasticos deferre causas ad judices extraneos, quae coram tribunali regio essent orandae, item, provocare a sententiâ curiae Anglicanae ad curiam Romanam. Quodsi quis hoc statutum contemneret, citandus erat in curiam ad regem; sin in judicio se non sisteret, regis patrocinio erat privandus, in custodiam tradendus, bona ejus erant publicanda, deque regis arbitratu, pretio soluto, ipse liberandus [1]. Pontifex vero horum statutorum gravitati se opposuit; et rex, quominus severe ea exsequi faceret, maxime *statutum provisionis*, bello, ut videtur, domesticisque curis impeditus fuit. Hinc factum, ut anno 1373 Parliamentum denuo querere-

1 Cf. Stäudlin. Vol. I. p. 257 sq. — Hume. cap. 16. — Henry. Vol. IV. cap. II. §. 2.

tur de provisionibus papalibus, atque asseveraret, Anglos ignominiose a Papâ opprimi. Quocirca legatio ad Gregorium XI Avenionem mittebatur, per quam rex populusque Angliae petebant a summo Pontifice, ut abstineret a reservatione beneficiorum in Ecclesiâ Anglicanâ, neque impediret Clerum et Metropolitanum Angliae, illum, quominus libere Episcopos eligeret, hunc, quominus hos confirmaret, uti olim more fuerat receptum. Res autem successu caruisse videtur; atque totus populus in dies magis indigne ferre coepit, opes regni confluere in terram hostilem, quum haud esset nescius, Papam a partibus stare regis Galliae, ex quo Romani Pontifices, sede ipsorum Româ Avenionem motâ, jam dudum pendebant.

Anno insequenii (1374) regis jussu exploratus est numerus, item pretium, beneficiorum, quae in Angliâ ab Italis, Gallis, aliisque peregrinis clericis tenebantur, et patuit, ingentem factum fuisse hunc abusum. Decretum igitur est in Parliamento, ut iterum legati cum auctoritate mitterentur ad Papam Gregorium XI. Unus ex his legatis fuit Johannes Wicliffus. Virum quidem ad vindicandam libertatem Ecclesiae Anglicanae aptiorem rex eligere non poterat: nam, si quis alius, tum profecto Wicliffus improbabat nimiam in res Ecclesiasticas, inque res civiles omnem auctoritatem Pontificis Romani. Apparet etiam ex literis, quas hac opportunitate dedit Eduardus III, quam bene existimaverit de Wicliffi fide et prudentiâ. Scripsit autem haec:

*Rex universis, ad quorum notitiam praesentes literae pervenerint, Salutem.*

*Sciatis, quod nos, de fidelitate et circumspectione venerabilis Patris Johannis, Episcopi Bangoriensis, ac fidelium nostrorum, magistri Johannis de Wiclif, sacrae theologiae prof., magistri Johannis Guteri, decani Segobiensis, magistri Simonis de Multon, legum doctoris, Willelmi de Burton, Militis, Roberti Bealknap, et Johannis de Kenyngton, plenam fiduciam reportantes, ipsos ad partes transmarinas Ambassatores, Nuncios et Procuratores nostros speciales destinamus; dantes eisdem Ambassatoribus, Nunciis et Procuratoribus, sex vel quinque eorum, (quorum praefatum Episcopum unum esse volumus), auctoritatem, et potestatem, ac mandatum speciale tractandi et benigne ac caritative consulendi cum Nunciis et Ambassatoribus domini summi Pontificis, super certis negotiis, pro quibus praefatos Episcopum et Willelmum, ac fratrem Ughtredum, monachum Dunolmensem*[1], *et magistrum Johannem de Shepeye, ad sedem Apostolicam nuper miseramus; et relationem plenariam super his, quae inter eos tractata et consulta fuerint, nobis et concilio nostro faciendi: ut ea, quae honorem sanctae Ecclesiae et conservationem jurium coronae nostrae et regni nostri Angliae concernere poterunt, in eâ parte, intuitu Dei et sanctae sedis Apostolicae, feliciter expediantur et debitum capiant complementum.*

---

[1] Hic antea una cum Wicliffo Universitatis Oxon. libertatem defenderat contra fratres Mendicantes. Vid. supra, pag. 70.

*In cujus, etc.*

*Dat. apud London. Vicesimo sexto die Julii.* (1374)[1].

Haec legatio Brugas profecta est, quandoquidem Gregorius XI huc suos miserat Nuntios, qui cum legatis regis Eduardi III tractarent de privilegiis Ecclesiae Anglicanae; erant illi Nuntii, Bernardus (alias Benedictus), Episcopus Pompejopolis, Radulphus, Episcopus Senogalliae, et Giles Sancho, Praepositus Ecclesiae Valentiae[2]. Quare Pontifex Romanus legatos Anglos non receperit Avenionem, sed suos Nuntios miserit in Flandriam, ignoramus. Initio mensis Augusti anno 1374, mutuo convenerunt Brugas, et legati regis Angliae, et Nuntii Papae, ibique per biennium commorati fuisse videntur. Quasnam in hoc negotio publico partes

---

1 Exstant hae literae: *pro Johanne de Wiclif et aliis de Potestatibus ad tractandum cum Nunciis Papae*, in: Thom. Rymeri *Foederibus, Conv. etc., ad originales Chartas in turri Londinensi, collatis et emendatis, stud. Georgii Holmes.* Hagae Comit. 1739—1745. Tom. III. P. III. p. 18. — Alia de Wicliffi peregrinatione, quantum pervestigare potui, vetera documenta non reperiuntur. Thom. Walsinghamus strictim tantum hanc legationem attigit. *Hist. Angl.* p. 188. Quid memoriae de eâ prodiderit Knyghtonus, ignoramus: res enim, quae ab an. 1367—1377, (itaque hoc etiam anno, in quem incidit legatio illa), acciderunt, in ejus Chronico desiderantur. Scriptores nonnulli recentiores retulerunt, Wicliffum saepius legationem obiisse, eum profectum fuisse aliquando Romam, alio tempore delegatum eum esse a rege cum compluribus regni nobilibus ad aulam Ducis Mediolanensis. Vid. ex. g. Henry, Vol. IV. cap. II. §. 2. — Baber. p. XVI.; alii. — Haec vero, utpote certis testimoniis non firmata, in fabellarum numerum referre licet. Semel tantum ex patriâ abfuisse Wicliffus videtur. — 2 Vid. Lewis. p. 30.

egerit Wicliffus, non liquet: sed pro amore in viro libertatis et justitiae singulari, atque pro odio, quo Hierarchiam Romanam eum odisse, perspicere jam coepimus, admodum verisimile est, strenue eum defendisse causam, quam curae ipsius et fidei rex Angliae commendaverat.

Quodsi ita se res habet, ut peregrinas adire terras, aliarum gentium cognoscere leges, mores et reliquas res, non solum ad delectandum valeat, verum etiam ad mentem nostram explicandam et excolendam, conditio profecto illo tempore Brugarum, ubi per duos circiter annos versatus fuisse Wicliffus dicitur, vim in eum satis magnam exserere potuit. Haec scilicet Flandriae civitas, pertinens ad foedus, quod dicitur, Hanseaticum, hoc aevo statio erat, sive commune emporium, mercaturae, quam agebant gentes Germanicae cum populis meridionalibus [1]. Hinc civitatis hujus, quae libertatis studio civiumque industriâ admodum vigebat, repetenda celebritas, opulentia, splendor. Commercium Brugensium, et universe Flandrorum, haud leve tunc quoque erat cum Angliâ [2]. Neque minoris mo-

---

1 Cf. F. E. Berg, *de Nederl. en het Hanse verbond*, edit. a Societate Art. et Doct. Prov. Ultraj. 1833. p. 73 sqq. et alibi.

2 Angli tamen hoc tempore, comparatione cum Flandris, Batavis, populis imperii Germanici et Italiae institutâ, mercaturam parvam tantum faciebant, neque magnâ eminebant in agendis rebus, ad commercium pertinentibus, industriâ. Quod mirum videtur: nam opportunitas insulae ad mercaturam sponte invitabat incolas; atque populum huncce naturâ propemodum destinatum esse, ut contemneret undas, remotissimas adiret

menti fuit Wicliffo haec commoratio Brugis propterea, quod eodem tempore ibi versatus est tertius filius Eduardi III, Johannes Gandavensis, sive (uti saepius appellari solet) de Gaunt, Dux Lancastriae, qui a patre rege, una cum Comite Sarisburiensi et Simone de Sudbury, Episcopo tunc Londinensi, illuc missus erat ad tractandum de rebus Angliae politicis cum regis Galliae legatis, Ducibus Andegavensi et Burgundionensi: Archiepiscopus autem Ravennae et Episcopus Carpentoractes, Papam repraesentantes, hac in re fuerunt internuntii [1]. Wicliffus igitur cum illustri hoc Eduardi filio, quem deinceps patronum saepenumero expertus est intrepidum, familiaritatem contraxisse, per tempus, quod uterque Brugis transegit ad serviendum commodis, Ecclesiae ille, hic reipublicae Anglicanae, valde probabile est. Forsitan jam antea consuetudo quaedam inter eos intercessit, quae quidem facile jungi potuit, siquidem Wicliffus, priusquam in Flandriam

---

gentes, quin etiam ignotas exploraret terras, postea apparuit. Tunc vero Anglorum navigatio piratica quaedam fuit. Quominus autem libere explicaretur populi indoles, partim bellum exitiosum et diuturnum cum Gallis, partim causae domesticae impedivisse magnopere videntur. Vid. disquisitio, in: *Revue Brit. Sept. 1836*, inscripta: *Annales de la Marine Anglaise.* — Sed vel sic tamen laudandus est Eduardus III, qui, editis multis constitutis, perquam favit Anglorum mercaturae. Cf. Robertsoni *Introitus ad Hist. Car. V.* Sect. I. p. 79 sqq. — Hume, cap. 16.

[1] Walsingham. p. 188. — Rymer, op. laud. Tom. III. P. III. p. 25., ubi exstat documentum: *De Potestatibus ad tractandum de pace, 20 Febr. 1375.* — Messire Jehan Froissart, *Hist. et Chron. memorable.* II. p. 122. (Ed. Denis Sauvage. Paris. 1574).

profectus est, bene cognitus erat regi multisque in regno viris nobilissimis, atque sententiae ejus de Hierarchiâ Romanâ, simul atque publice innotescebant, non poterant non placere Duci Lancastriae; cujus sentiendi ratio de rebus civilibus et Ecclesiasticis, deque necessariâ Ecclesiae Anglicanae reformatione, nisi omni, tamen magnâ ex parte, cum Wicliffi placitis conspirabant [1]. Quicquid autem est de opportunitate, quâ illi sibi invicem innotuerint, hoc, uti mox videbimus, constat, professorem Oxoniensem sincere fuisse receptum in illustrissimi Ducis Lancastriae amicitiam, quam quidem naturae quaedam cognatio peperisse videtur.

Johannes ille Comes fuit Richemondiae [2], et, postquam filiam Henrici Ducis Lancastriae, Blanche dictam, uxorem duxerat, soceri post mortem titulus et bona ei obvenerunt. Ex eo oriunda fuit familia, quae deinde in Angliâ regnavit. Vir sane magnus erat, qui fortitudine in bello inque rebus politicis solertiâ inclaruit; nimis tamen fuit ambitiosus, et, quum magnâ in regnum auctoritate valeret, suspicio de eo circa illud tempus incidisse videtur, regnum eum affectare. In-

---

1 Wicliffum scripta nonnulla dedicasse Johanni Gandavensi anno 1368, memoravit Lewisius, p. 18; quem vero, hoc statuentem, inductum fuisse in errorem, clare aperuit Vaughanus. Vol. I. p. 304 sq.

2 Natus est anno 1340 Gandavi, ubi regina Angliae tunc morabatur; hinc cognomen accepit. Dies ejus natalis incidit brevi post claram illam victoriam, quam Angli pugnâ navali prope littora Flandriae de Gallis reportarunt.

cumbebat scilicet Johannes potissimum in administrationis curam, propter regis senectam aetatem, et corporis imbecillitatem fratris sui natu maximi, strenui Principis Valliae, qui ob colorem ipsius insignium Princeps Niger vulgo cognominabatur futurusque in regnum habebatur successor. Propter suspicionem istam effecit Parliamentum, quod mense Aprili anni 1376 convocatum est, ut Dux Lancastriae, interea dum Brugis adhuc morabatur, de loco in regni administratione dimoveretur, atque adeo privaretur legatione, quam tunc gerebat. Attamen mox mense Julio, (Parliamento hocce jam dimisso), in patriam redux, Johannes a rege, Parliamenti acta aegre ferente, consiliorum particeps factus inque imperii societatem denuo assumtus est. Interim quoque, quum mortuus esset Princeps Valliae (8 Junii 1376), rex hujus filium Richardum, quanquam minorennem, paulo ante designaverat successorem, ut Ducem Lancastriae omni suspicione exsolveret. Quandoquidem inter historicos multi reperiuntur laudum illius Ducis detrectatores, memoratu digna sunt Knyghtoni verba, qui ipsius aequalis fuit, neque alibi in Chronico suo dissimulavit, saepius Johannem suscepisse patrocinium causae cum Wicliffi, tum hujus sociorum. *Ne cuiquam cedat in mirum*, ait, *quare ipsum tociens pium ducem vocitavi, diligens lector attendat et auditor veritatis amicus intelligat, quod iste pius dux pietatis tanto robore fundatus exstitit, quod in omnibus tribulationibus suis et in omnibus angustiis atque injuriis, sibi malitiose illatis, non vindictam quae-*

*suvit, non ultionem per suos mandavit, sed aequanimiter tollerans cuicunque petenti delicta condonavit* [1].

Virum igitur tam illustrem et generosum inque republicâ adeo pollentem, fautorem habere atque patronum, aliquid erat Wicliffo, praesertim, si consideramus causam, quam illo aevo in Angliâ egit.

In negotio autem, propter quod legatio a rege missa est Brugas, etiamsi ignoramus, quasnam Wicliffus habuerit partes, placuisse tamen Eduardo III modum, quo legati munere fungeretur, hinc efficerem, quod regis erga se benevolentiae documenta interim accepit praeclara. Mense scilicet Novembri anni 1375 Eduardus rex donabat ei praebendam Austii, pertinentem ad Ecclesiam collegiatam Westburii, in dioecesi Vigorniensi [2]; et brevi post nominavit eum Rectorem Ecclesiae Luterovorti, in Archidiaconatu Licestriensi et dioecesi Lincolniensi. Fuit olim Luterovortum emporiolum Baronum de Verdon [3]; hoc autem tempore Ecclesiae hujus loci patronus erat Dominus Henricus de Ferrariis de Groby, ob cujus tamen aetatem minorem rex Angliae habuit praesentationem, quam dicunt [4]. In eodem comitatu, in quo situm erat Luterovortum, habebatur quoque castellum Ducis Lancastriae, Licestriense dictum, et distans a Luterovorto non amplius octo decemve millium spatio, ubi subinde Dux versari solebat [5].

---

1 P. 2643. — 2 Vaughan. Vol. I. p. 346. — 3 Vid. Guil. Camdeni *Britannia* p. 410. — 4 Cf. Vaughan. Vol. I. p. 346. not. 14.
5 Knyghtonus illud castellum vocat manerium sive villam Ducis Lancastriae. p. 2737.

Quod attinet ad exitum, quem habuit legatio illa, videtur Papa rem protraxisse, et specie magis, quam reapse, de jure suo commenticio concessisse regi et Parliamento. Edidit quidem, jam anno 1375 mense Septembri, sex bullas circa hanc causam; sed parum illae satisfacere regi poterant[1]. Illud tantum impetratum fuit, ut Papa abstineret in posterum a reservationibus beneficiorum, dum rex ea non amplius conferret in viros Ecclesiasticos secundum scriptum suum » *Quare impedit.*" De electione vero Episcoporum et Abbatum, a Papae confirmatione immuni, nulla in pacto facta est mentio: quod effectum videtur nonnullorum solertiâ, qui sciebant, facilius se posse in eas, quas sibi optarent, dignitates, ope et favore Pontificis Romani evehi, quam legitimâ electione[2]. Sic Episcopus ille, qui legationem Brugas administrabat, bullâ papali anno 1375 in Episcopatum Herefordiensem evectus est[3]. Paparum autem fides jam diu Punica fuerat, quod illâ opportunitate rursus apparuit. Nam Parliamentum, quod habitum est brevi post, quam legati, pactionibus utrinque confectis, in patriam erant reversi, conquestum valde est de Pontifice, pacta violante; atque hujus promissa, dum legati adhuc cum Nuntiis Papae tractabant, suspecta jam fuisse videntur regni Ordinibus, quippe qui, convocati mense Aprili anno 1376, tradiderunt regi libel-

---

1 Reperiuntur hae bullae: *de compositione inter Regem et Papam per Nuncios ex utraque parte concordatâ, 1 Sept. 1375.* in opere Rymeri. Tom. III. P. III. p. 34 sqq.

2 Walsingham. p. 188. — 3 Walsingham. ibid.

lum, in quo Papa et Cardinales describuntur tanquam extortores bonorum et opum populi Anglici, ac regni miseria et calamitates imputantur istorum pecuniae aviditati, malitiae, et tyrannidi: simul petitum fuit a rege, ut statuta contra provisiones papales rigide vindicarentur, et legati, quos curia Romana pecuniae colligendae causa in Angliam mittere solebat, ex regno ejicerentur; quod anno insequenti denuo ab iis fuit rogatum. Responsum tulerunt, Pontificem pollicitum esse rerum emendationem; quodsi promissis non staret, actum iri secundum statuta. Documentum, quod illas Parliamenti querimonias continet, perdignum sane est, quod legatur. Eorum enim, qui populum repraesentabant Anglicum, hoc aevo cogitandi sentiendique ratio de vitiis et abusibus Ecclesiae deque Pontificum et Cleri Romani despotismo, egregie inde percipitur [1]. Domus inferioris potissimum ἐνέργεια et libertatis studium hac occasione eluxerunt. Tantopere

---

[1] Nimium longi essemus in communicando hoc documento: quocirca, qui legere id cupit, is adeat opus Roberti Cottonis: *Abridgment of the Records*, etc. p. 128., ubi summatim reperitur. Cf. Lewis. p. 31 sqq. — Cernitur similitudo sententiarum in hoc Parliamenti scripto et epistolâ regis Eduardi III, quam supra memoravimus, p. 105. not. 1. Iisdem de rebus Wicliffum etiam querentem audimus in opere, quod deinceps demum edidit, *The great Sentence of Curse expounded.* »*And certes*, ait, *tho our rewme had an huge hill of gold, and never other man took thereof, but only this proud worldly Priest's collector, by process of time this hill must be spended. For he taketh ever money out of our lond, and sendeth nought agen but God's curse*'' etc. Vid. Lewis. p. 34.

illius Parliamenti acta placebant populo, ut *boni Parliamenti* nomen ei daret [1].

---

Haec controversia regnum Anglicum inter et curiam Romanam valuit imprimis ad persuadendum etiam magis Wicliffo de corruptione Ecclesiae, maxime de summi Pontificis iniquitate, avaritiâ, aliisque vitiis, quibus Papae tunc laborare solebant. Quippe Brugis dum versabatur Wicliffus cum iis, qui Papam repraesentabant, intellexit accuratius, esse istum ad fraudem callidum, dominandi in res populorum studiosissimum, deque suâ ipsius conservandâ auctoritate magis sollicitum, quam de Ecclesiâ Christi bene moderandâ. In patriam igitur redux, vehementius, quam adhuc fecerat, invectus est in Romanum Pontificem, vocans eum Antichristum, superbum et impium sacerdotem, pessimum praedatorem [2].

Huc usque Clerus Anglicanus Wicliffo, Ecclesiae vitia detegenti libere atque palam emendare studenti, non restitisse videtur; quanquam monachi Mendicantes nil non moliebantur, ut famâ eum spoliarent atque invisum redderent omnibus, qui Hierarchiae Romanae essent fautores atque vindices pertinaces. Quum vero Wicliffus ulterius progrederetur, atque aperiret causas

---

1 Walsingham. p. 191.

2 *He stiled him*, inquit Lewisius, *Antichrist, the proud worldly Priest of Rome, and the most cursed of clippers and purse-kervers.* p. 34.

depravationis et corruptelae Ecclesiae, seque praestaret in dies audaciorem, jam assimilans summum Pontificem Antichristo, illi Jesu Messiae adversario, id diutius non tulerunt summi in regno Praelati. Quam ob rem, instigante maxime Courtnaeo, Episcopo nuperrime Londinensi facto, dies Wicliffo dictus est a clericis, qui congregati fuerunt die 3 mensis Februarii anno 1377, ut se sisteret in judicio Ecclestiastico in Aede sancti Pauli Londini, ad diem 19 ejusdem mensis [1], et accusatione se exsolveret, quod multas foveret et doceret sententias falsás et repugnantes auctoritati Ecclesiae. Quasnam et quot numero illas citaverint, non liquet [2]. Dux autem Lancastriae et Dominus Henricus Percius, supremus regni Marescallus, qui valde etiam rebus Wicliffi favebat, dicto die eum comitati sunt ad Aedem divi Pauli, quo tanta Londinensium multitudo confluxerat, ut introitus fere praeclusus esset. Constipata vero turba conspiciens regni Marescallum praeeuntem, transitum dedit, Aegre tamen Wicliffus cum illustribus suis comitibus Aedem intrabat. Conturbatione hinc exortâ, superbus Courtnaeus, limis oculis reum tantis viris comitatum adspectans, dolere se, inquiebat, quod ejusmodi magnates cohibendos non curaverat, quominus huc introi-

---

[1] Commisisse Lewisium errorem in indicando anno, quo haec acciderunt, demonstravit Vaughanus. Vol. I. p. 357. not. 23.

[2] Wicliffum circa hoc tempus divulgasse placita, quae haeretica habebantur, confirmatur etiam testimoniis, quae hac de re occurrunt in Chronico Godstoviano et Annalibus monasterii Tinensis. cf. Lewis. p. XIX et XXI.

rent. Cui Dux Lancastriae reponebat, non sufficere ejus auctoritatem ad hoc impediendum. Wicliffum autem, se sistentem coram congregatis, Archiepiscopo, Episcopo Londinensi, aliisque Praelatis, Dominus Percius assidere jubebat, hanc dicens veniam placide sedendi nunc omnino dandam esse, quum ad permulta ei foret respondendum. Episcopus vero eum sedere vetabat: nam indecorum esse dicebat, eum, qui citatus est, coram judicibus sedere, quamdiu interrogabatur atque se defendebat. Hac igitur de re Episcopo vehementer jurgante cum Marescallo, huic auxiliatus est Dux Lancastriae, dicens, id valde aequum esse, quod Marescallus rogabat: et mordaciter addidit, sibi quidem libitum esse, frangere illam superbiam et arrogantiam non solum istius Episcopi, sed omnium in Angliâ Praelatorum. »Tu quidem, dicebat Courtnaeo, adeo superbe te geris, confisus familiâ tuâ[1]: sed opem haec tibi ferre non poterit, plus satis sibi ipsa curet, erit necesse." Cui valde moderate respondebat Episcopus, se neque in consanguineis suis, neque in alio quovis homine, spem reponere, at solum in Deo. Neque tamen Dux quievit. Cum proxime

---

1 Cognatione cum Comite Devoniae, atque propinquitate cum aliis bene multis nobilissimis familiis conjunctus erat Courtnaeus. Oriundus fuit illustri et priscâ gente, quae tempore jam Hugonis Capeti conspicua erat in Galliâ, ubi habitabat in castello, *Courtenay* dicto, sito in Vastinii provincia. Hujus gentis stirps in Angliam devenit, atque ibi comitatum Devoniae diutissime tenuit. Domi militiaeque inclaruerunt Courtnaei. Cf. Gibbon. cap. 61. — Nepotes ex hac familiâ nobilissimâ superstites adhuc Gibboni aetate erant.

adstante haec consusurrasse fertur: »se foras esse potius extrusurum istum Episcopum, crinibus eum vellicantem, quam haec, quae nunc obtinebant, aequo animo passurum." Quanquam aure susurrata erant haec verba, audita tamen sunt a nonnullis hominibus juxta ipsum stantibus. Quare Londinenses, qui Ducem Lancastriae hoc tempore popularem non existimabant, clamare coeperunt, se prius vitam suam pro Episcopi incolumitate esse devoturos, quam viderent, hunc tam contumeliose tractari in Aede ipsius cathedrali. Turbâ et gravi tumultuatione excitatâ, concilium, infectâ re, dimissum est. Londinensium vero multitudo insurrexit, et, arreptis armis, Ducem et Marescallum occidere voluit, vixque per ipsum Episcopum fuit postridie cohibita a comburendo palatio Ducis, quod vocabatur de Savoy: attamen arma ejus et insignia in foro publico destructa sunt. Tandem contigit Episcopo Courtnaeo, ut sedaret seditionem; et brevi post Dux Lancastriae plures abire coegit magistratus Londinenses, eorumque loco alios subrogavit[1].

Sic Wicliffus jam ab Ecclesiasticis judicibus evasit. Quodsi hi non impediti fuissent, quominus in fidem ejus inquirerent, atque interrogantes comperissent ex eo sententias haereticas, profecto jam tunc ejus

---

[1] Foxus totam rem descripsit ex Chronico monasterii sancti Albani. Vid. opusculum, cui titulus: *Writings of John Wickliff..... printed for the Religious Tract Society.* Lond. (recens edit). p. 19 sq. — Cf. etiam Walsingham. p. 192. C. W. Le Bas, *The Life of Wiclif.* p. 161 sqq.

studia reformandi omnimode cohibuissent. Nunc autem potentium illorum virorum, quos diximus, patrocinio tutus, Oxonium rediit, ut hîc pergeret docere et communicare saniora sua placita. Simul vero Luterovortum identidem profectus fuisse videtur, quotiescunque illic fungi eum oporteret officiis muneris sui Ecclesiastici.

Ab hoc tamen inde tempore, quo Wicliffus primum ob placita sua in judicium fuit vocatus, tristia eum undique fata circumstetisse videntur. Uti enim annus 1377 sinistro omine inceperat, sic porro ei calamitosus fuit, quum ejusdem aestate orbatus fuit optimo fautore, rege Eduardo III, qui die 21 Junii obiit. In regnum huic succedens Richardus II, nepos Eduardi ex filio maximo natu, primum quidem bene animatus esse in Wicliffum, ejusque doctrinam et studia comprobare videbatur; deinde vero parum erat sollicitus de hujus sorte, imo auxiliabatur potius iis, qui Wicliffum ejusque socios perdere conabantur. Hanc autem bonam existimationem, quam rex initio de Wicliffo habere videbatur, intelligimus quodammodo, si reputemus, matrem Richardi bene cupivisse professori Oxoniensi, tum vero etiam, vim, quam in regem per aetatem minorem habuere patrui ejus, fuisse permagnam[1]. Ex his, Ducis Lancastriae ani-

[1] *The administration*, inquit Humius, *was conducted entirely in the King's name: no regency was expressly appointed: the nine counsellors and the great officers, named by the peers, did their duty, each in his respective department:*

mum erga Wicliffum benevolentissimum cognovimus: Ducem Glocestriae Wicliffi studiis reformandi aliquatenus favisse, hinc efficerem, quod coram eo aliquando disputasse cum monacho videtur de mendicitate; quam disputationem deinceps scripto mandavit, et huic Duci transmisit, ut eâ in re arbiter esset[1]. Quo vero animo erga eum fuerit tertius Richardi patruus, Edmundus, Dux Eboraci, memoriae proditum non est.

Magnam igitur, initio imperii Richardi II, fuisse regni principibus et senatoribus opinionem de Wicliffi doctrinâ, sagacitate et studiis, hujus rei documentum habemus insigne. Scilicet circa illud tempus in Parliamenti domu inferiore, in quam Dux Lancastriae tunc magnam exercebat auctoritatem, quippe qui princeps ejus consiliarius cum aliis undecim sociis factus erat[2], querimoniae redintegrabantur de Papae ministris et legatis, regnum Angliae divitiis impudenter spoliare pergentibus[3]. Bello, quod Angli gerebant cum Gallis, (tempus enim induciarum ante mortem Eduardi

---

*and the whole system was for some years kept together by the secret authority of the King's uncles, especially of the duke of Lancaster, who was in reality the regent.* cap. 17. — [1] Vid. supra, pag. 72. — Lewis. p. 316. — Vaughan. Vol. II. p. 129. — [2] Lingard. Vol. IV. cap. 3.

[3] „*They therefore pray the King, that the Pope's collector be willed to gather no longer the first fruits of benefices within this realm, his doing so being a very novelty, and that no other person do any longer pay them: that no man do procure any benefice by provision from Rome, upon pain to be put out of the King's protection; that no Englishman do take to farm of any alien, any Ecclesiastical benefice or prebend, on the like*

III jam exierat), aerarium exhauriebatur: expensa augebantur, pecuniâ opus erat, nova imponenda erant tributa. Quocirca quaesitum est in Parliamento, num regnum Angliae, urgente necessitate defensionis propriae, posset legitime retinere reipublicae thesauros, quominus regno exportarentur, etiamsi Papa, sub poenâ censurae et propter obedientiam sibi praestandam, illos postularet. Haec quaestio, haud levis sane momenti, proponebatur nomine regis et Parliamenti Wicliffo, ut, quid sibi hac de re videretur, communicaret [1]. Iterum igitur respublica confugit ad viri illius ingenium liberale et acre judicium.

Wicliffus continuo responsum dabat, quod inscriptum est: *Ad quaesita Regis et Concilii.* »*Dubium est, utrum regnum Angliae possit legitime, imminente necessitate suae defensionis, thesaurum regni detinere, ne deferatur ad exteros, etiam domino Papâ, sub poenâ censurarum et virtute obedientiae hoc petente*" [2]. Ad quaestionem affirmando respondet,

---

*pain. On which occasion they observe, that the French alone had 6000 pounds yearly of such livings in England. They further pray remedy against the Pope's reservations to dignities elective, the same being done against the treaty of the Pope taken with King Eduard III: and that all aliens, as well religious as others, do by Candlemass next avoid the realm, and that all their lands and goods, during the war, may be employed thereto for divers causes declared in their Bill.*" Apud Lewisium. p. 51. (Ex opere Roberti Cottonis: *Abridgment of the Records.* p. 160—162). — [1] Lewis. p. 51.

[2] Vaughanus examinavit MS. Joh. Seldeni. vid. Vol. I. p. 365. not. 28. — Cf. etiam Foxus, op. laud. p. 17, ubi hoc Wicliffi responsum, titulo: *Ad Ricard. II, de jure Regis et Papae*, magnam partem invenitur.

provocans, cum ad sensum communem, tum ad sententias religionis Christianae. Primum contendit, jus sui ipsius conservandi, ex voluntate divinae Providentiae, competere unicuique homini; ergo cuivis etiam hominum societati, et Anglorum genti, quam quidem decet unum efficere corpus, cujus omnes, clerici aeque ac laici, membra sunt. Hinc ita concludit: quum nullum a Deo datum sit cuiquam creaturae jus ad aliquid, quo legitime uti non possit ad id, sequitur, regnum nostrum posse juste retinere thesaurum suum ad semet ipsum defendendum, quavis opportunitate, qua necessarium id esse patebit. Tum declarat, omne tributum, quod Papae solvitur, donum esse gratuitum: atque dona gratuita solum iis esse donanda, qui sunt indigentes, eaque ab illis, qui opibus affluunt. Jam vero opulentiam sedis Apostolicae, dicit, satis esse celebratam; contra vero Angliae civitates in dies exhauriri magis bonis suis, unde populi, ubivis in regno, querelae excitantur. Deinde procedit ad reprehendendam iniquitatem et avaritiam illius, qui se Christi in hac terrâ vicarium dicebat, locisque, ex novi Foederis ac sancti Bernardi ad Papam Eugenium libris potissimum petitis, orationem illustrat[1].

---

[1] Vid. Vaughan. Vol. I. p. 362—365. Probe legisse videtur Wicliffus Bernardi Abb. Clarevall. *Libros V de Consideratione ad Eugenium III Papam:* quod imprimis apparet, si conferas lib. II. Reperitur illa Bernardi commentatio etiam in Goldasti *Monarchia S. imp. Rom.* Tom. III. p. 68 sqq.

Quamvis autem rex et Parliamentum consilium a Wicliffo petebant in ejusmodi rebus gravissimis, ejusque nomen ita magis celebrabatur, Clerus Anglicanus tamen a sententiâ suâ non destitit. Frustratâ enim in ejus doctrinam inquisitione, brevi post Pontifici Romano missa fuisse videtur series quaedam sententiarum Wicliffi, quae haereticae habebantur; cujus rei fratres Mendicantes maxime auctores fuisse suspicer. Erant autem illae excerptae partim ex ejus scriptis et praelectionibus, partim ex collocutionibus, nec tamen accurate, neque bonâ fide. Famâ indignatus Pontifex Gregorius XI, placitis haereticis contaminari Angliae regnum, quod fidei Romano-catholicae huc usque semper fuisse receptaculum existimabat, mox, ad hunc cohibendum furorem, die 22 mensis Maji anno 1377, quatuor Romae edidit bullas. Unum misit Cancellario et Universitati Oxoniensi, tres vero Archiepiscopo Cantuariensi et Episcopo Londinensi; addiditque epistolam, eodem tempore perscriptam, ad regem Eduardum III. Hisce literis papalibus adjunctus erat libellus, continens *undeviginti conclusiones* seu *propositiones magistri Jo. Wiclyff*[1], quas integras hîc apponere juvat[2].

I. *Totum genus humanum*[3] *citra Christum non habet potestatem simpliciter*[4] *ordinandi, ut Petrus,*

---

[1] Bullas, epistolam, et conclusiones videre est apud Walsinghamum, p. 201—205.

[2] Lubet quoque afferre lectionis varietatem, quae cernitur in Expositione harum conclusionum, ab ipso Wicliffo compositâ et Parliamento traditâ. — [3] Add. *concurrentium.* — [4] *simplicem.*

*ut*[1] *omne genus suum dominetur politice in perpetuum super mundum.*

II. *Deus non potest dare homini pro se et haeredibus suis in perpetuum civile dominium.*

III. *Chartae, humanitus adinventae, de haereditate civili*[2] *perpetuâ, sunt impossibiles.*

IV. *Quilibet existens in gratiâ gratificante finaliter, nedum habet jus, sed in re habet omnia dona Dei*[3].

V. *Homo potest solum ministratorie dare, tam naturali filio, quam imitationis in schola Christi, tam temporale dominium, quam aeternum*[4].

VI. *Si Deus*[5], *domini temporales possunt legitime ac meritorie auferre bona fortunae ab Ecclesiâ delinquente.*

VII. *Nunquid Ecclesia est in tali statu, vel non, non est meum discutere, sed dominorum temporalium examinare, et, posito casu, confidenter agere, et sub poenâ damnationis aeternae ejus temporalia auferre*[6].

VIII. *Scimus, quod non est possible, ut vicarius Christi pure ex bullis suis, vel ex illis cum volun-*

---

[1] Pro *ut* leg. *et.* — [2] *civili* om.

[3] Haec sententia sic se habet apud Wicliffum: *Quilibet existens in gratiâ gratum faciente finaliter, nedum habet jus ad rem, sed pro suo tempore jus in re, super omnia bona Dei.*

[4] Pro verbis: *quam imitationis — aeternum*, leguntur haec: *quam filio imitationis, temporale dominium et aeternum implicitum.*

[5] Add. *est.* — [6] Haec sententia apud Wicliffum deest.

*tate et consensu suo et*[1] *sui collegii, vel*[2] *habilitet, vel inhabilitet.*

IX. *Non est possibile, hominem excommunicari*[3], *nisi prius et principaliter excommunicetur a se ipso.*

X. *Nemo ad sui deteriorationem excommunicatur, suspenditur, vel aliis censuris cruciatur, nisi in causâ Dei*[4].

XI. *Maledictio vel excommunicatio non ligat simpliciter, nisi quantum fertur in adversarium legis Christi.*

XII. *Non est exemplificata potestas a Christo vel*[5] *suis discipulis excommunicandi subditos, praecipue propter negationem temporalium, sed e contra.*

XIII. *Discipuli Christi non habent potestatem*[6] *coacte exigere temporalia per censuras.*

XIV. *Non est possibile de potentiâ Dei absolutâ, quod, si Papa vel alius*[7] *praetendat, se quovismodo solvere vel ligare, eo ipso solvit vel ligat.*

XV. *Credere debemus, quod solum tunc solvit vel ligat*[8], *quando se conformat legi Christi.*

XVI. *Hoc debet credi catholice, quod quilibet sacerdos, rite ordinatus*[9], *habet potestatem sufficien-*

---

[1] Pro *et* leg. *aut.* — [2] Pro *vel* additur *quenquam.* — [3] Add. *ad sui dampnum.*

[4] Haec sententia ita se habet apud Wicliffum: *Nemo debet, nisi in causâ Dei, excommunicare, suspendere, interdicere, vel secundum quamcunque censuram Ecclesiasticam vindicando procedere.* — [5] *Vel* om.

[6] Pro *potestatem coacte*, etc. leg. *potestatem ad, coactione civili, exigendum*, etc.

[7] Add. *Christianus.* — [8] Add. *simpliciter Christi vicarius.*

[9] Post *rite ordinatus*, reliqua sic se habent: *secundum legem*

*tem sacramenta quaelibet conferendi, et per consequens, quemlibet contritum a peccato quolibet absolvendi.*

XVII. *Licet regibus*[1], *auferre temporalia a viris Ecclesiasticis, ipsis abutentibus habitualiter.*

XVIII. *Sive domini temporales, sive sancti Papae, sive Petrus, sive caput Ecclesiae, qui est Christus, dotaverint Ecclesiam bonis fortunae vel gratiae, et excommunicaverint ejus temporalia auferentes, licet tamen, propter conditionem implicitam delicto proportionabili, eam temporalibus spoliare*[2].

XIX. *Ecclesiasticus, immo et Romanus Pontifex, potest legitime a subditis et laicis corripi, et etiam accusari*[3].

Hisce igitur Gregorius concitatus placitis, in bullâ, quam misit ad Universitatem Oxoniensem, scripsit haec: »Mirari cogimur et dolere, quod vos propter gratias et privilegia vestra, Studio Oxoniensi ab Apostolicâ

---

*gratiae habet potestatem, secundum quam potest sacramenta ministrare, et per consequens, sibi confessum de quocunque peccato contritum absolvere.*

1 Add. *in casibus limitatis a jure.*

2 Haec sententia apud Wicliffum ita se habet: *Sive domini temporales, sive quicunque alii, dotaverint Ecclesiam temporalibus, licet eis, in casu, auferre temporalia medicinaliter, ad cavenda peccata, non obstante excommunicatione, vel aliâ censurâ Ecclesiasticâ, cum non nisi sub conditione implicitâ sunt donata.*

3 Haec sententia apud Wicliffum ita legitur: *Ecclesiasticus, etiam Romanus Pontifex, potest legitime a subditis corrigi ad utilitatem Ecclesiae, et, tam a clericis, quam a laicis, accusari.*

sede concessa, et propter scientiam Scripturarum, in quarum pelago foelici remigio (dante Domino) navigatis, tanquam pugiles et propugnatores orthodoxae fidei (sine qua salus animarum non provenit) esse deberetis, lollium inter purum triticum campi gloriosi Studii vestri praedicti, per quandam desidiam et ignaviam, permittitis pullulare, et, quod est perniciosius etiam, adolere, nec circa extirpationem hujus lollii (sicut nuper apud nos insonuit) curam aliquam adhibetis, non sine clari nominis obfuscatione, et animarum vestrarum periculo, et contemptu Ecclesiae Romanae, et memoratae fidei detrimento. Et quod nos torquet acerbius, prius de incremento lollii praedicti sentitur in Roma, quam in Anglia, ubi tamen extirpationis remedium apponeretur. Multorum siquidem fide dignorum insinuatione, admodum dolentium, nostris est auribus intimatum, Johannem Wycklef, rectorem Ecclesiae de Luttleworth Lincolniensis dioec., sacrae paginae professorem, utinam non magistrum errorum, in illam detestabilem erupisse vecordiam, nonnullas propositiones et conclusiones erroneas et falsas, ac pravitate haereseos sapientes, quae statum totius Ecclesiae, et etiam secularem politiam subvertere et enervare nituntur, quarumque aliquae, licet quibusdam mutatis terminis, sentire videntur opiniones et doctrinam indoctam damnatae memoriae Marsilii de Padua et Johannes de Ganduno, quorumlibet, per foelicis recordationis Johannem Papam XXII praedecessorem nostrum, reprobatus extitit et damnatus, in regno Angliae nempe glorioso potentiâ et copiâ

facultatum, sed gloriosiore pietate fidei rutilante, sacrae paginae claritate consueto viros producere, divinarum scripturarum rectâ scientiâ illustratos, morum gravitate maturos, devotione conspicuos, et catholicae fidei defensores, dogmatizare et publice praedicare, seu potius de virulento claustri sui pectore evomere non veretur, nonnullos Christi fideles earum respersione commaculans, et a fidei praefatae rectâ semitâ in praecipitium perditionis abducens. —— Universitati vestrae per Apostolica scripta in virtute sanctae obedientiae, at sub poenâ privationis omnium gratiarum, indulgentiarum, et privilegiorum, vobis ac Studio vestro a dictâ sede concessorum, districte praecipiendo mandamus, quatenus conclusiones et propositiones, in bonis operibus et fide male sentientes, licet eas proponentes sub quadam verborum sive terminorum curiosâ implicatione, nitantur defendere, de caetero non permittatis asseri vel proponi: dictumque Johannem authoritate nostrâ capiatis, seu capi faciatis, et ipsum venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Cantuariensi et Episcopo Londoniensi, aut eorum alteri sub fidâ custodiâ transmittatis" etc.

Animadvertendum est, uti ex his literis patet, Papam suspicatum esse, plures inveniri in Universitate Oxoniensi, qui eadem foverent placita, quorum Wicliffus accusatus erat. Complures autem fuisse illic discipulos ejus et socios, infra videbimus: ex nobilibus vero et regni senatoribus, tum etiam ex domu regiâ, multos hoc tempore ei favisse, jam novimus; quod Papae quoque innotuisse videtur. Nam in literis,

quas misit ad Archiepiscopum et ad Londinensem Episcopum, ait: »Volumus — et vestrae fraternitati mandamus, quatenus clarissimum in Christo Edwardum, regem Angliae illustrem, et dilectos filios, nobiles viros natos dicti regis, ac dilectam in Christo filiam, nobilem mulierem Johannam [1], principissam Aquitaniae et Walliae, et alios magnates de Anglia et consiliarios regis, per vos et alios magistros et peritos in sacrâ paginâ, non maculatos hujuscemodi erroribus, sed in fide sinceros et fervidos studeatis facere, plenarie informari, ac eis ostendi, quanta verecundia devoto regno Angliae oriatur exinde, et quod non solum sunt ipsae conclusiones erroneae in fide, sed, si bene advertantur, *innuunt omnem destruere politiam*."

Utraque altera bulla, ad Archiepiscopum et Episcopum missa, ejusdem fere erat argumenti, atque ea, quae Universitatis Cancellario perscripta fuit. Illis autem Papa praeterea scripsit haec: »Committimus et mandamus, ut vos, vel alter vestrum, de dictarum propositionum et conclusionum assertione, quarum copiam vobis mittimus, sub bullâ nostrâ inclusam, vos secrete informantes, si inveneritis ita esse, praefatum Johannem faciatis authoritate nostrâ capi et carceribus mancipari, ejusque confessionem super eisdem propositionibus seu conclusionibus recipere studeatis, ac ipsam confessionem, et quaecunque dictus Johannes dixerit seu scripserit super earundem propositionum et

---

[1] Vidua erat Eduardi principis, et mater Richardi II. Haec filia et heres infelicis Comitis Edmundi, patrui Eduardi III, ante nuptias inclyta fuit laude *formosae puellae Cantii*.

conclusionum inductionê ac probatione, et quicquid feceritis in praemissis, sub vestris sigillis clausa et nemini revelata, nobis per fidelem nuncium transmissuri, eundemque Johannem sub fideli custodiâ teneatis in vinculis, donec a nobis super hoc aliud receperitis in mandatis. — Considerantes utique, quod praefatus Johannes, hujusmodi captionem et carcerationem forte praesentiens, posset (quod absit) perfugere, seu latitationis praesidio dictum nostrum mandatum, in gravissimum fidei detrimentum, eludere: Nos — mandamus, quatenus vos vel alter vestrum per vos vel alium seu alios, praefatum Johannem, si per vos capi, et incarcerari non possit, per edictum publicum proponendum in Studio Oxoniae, Linc. dioec., et aliis locis publicis, — ex parte nostrâ peremptorie monere et citare curetis, quod infra trium mensium spacium, a die citationis hujusmodi in antea computandum, ubicunque tunc nos esse contigerit, comparere ac personaliter coram nobis super propositionibus et conclusionibus hujuscemodi responsurus, ac auditurus et facturus, quicquid super eis duxerimus ordinandum, et ordo dictaverit rationis, praedicendo in hujusmodi citationis edicto, quod, sive idem Johannes in hujusmodi termino comparuerit, sive non comparuerit, nos super praemissis, et contra eum usque ad debitam condemnationem ipsius inclusive procedemus, prout ejus demerita exigent, ac nobis secundum Deum et conservationem fidei videbitur expedire." Denique Papa in epistolâ suâ ad Eduardum III, orat regem, ut »Archiepiscopo et Episcopo Lond. et aliis, qui hujusmodi negotium

persequentur, in ipsâ prosecutione, sui favoris et auxilii patrocinium exhibere" velit.

Hae autem bullae, licet mense Maji datae essent, ad finem vergente anno in Angliam demum transmissae, vel saltem illic promulgatae fuisse videntur [1]. Quaenam hujus dilationis fuerit causa, utrum mors Eduardi III, die 21 Junii interveniens, an alia res, ignoramus. Sic quoque incertum est, num epistola Papae ad Eduardum regem tradita fuerit hujus successori: quodsi tradita est, Richardo adolescenti parum curae fuisse apparet, humanae laudis illud praeconium, divinae retributionis praemium, Pontificis et sedis Apostolicae benevolentiam majorem, quae cuncta Gregorius regi addixit, si faveret et patrocinaretur iis, qui dicam Wicliffo impingerent. Neque Universitas Oxoniensis promta fuisse videtur ad exsequenda mandata Apostolica adversus illum professorem, de cujus doctrinâ et virtute magna erat opinio, quique multis in regno viris nobilissimis bene audiebat. *Procuratores, sive rectores*, ait Walsinghamus, *auditâ causâ adventus dicti papalis nuncii, diu in pendulo haerebant, utrum papalem bullam deberent cum honore recipere, vel omnino cum dedecore refutare* [2]. Invite tandem bulla recipiebatur: simul vero sibi proposuisse videtur Universitas, cunctando irritum reddere illud mandatum, secundum quod Wicliffus capiendus atque

---

1 Walsinghamus scribit, bullam papalem pervenisse Oxonium *paucis diebus ante natale Dominicum*: indicare autem videtur annum 1378, in quo errat auctor. vid. p. 201. — 2 p. 201.

tradendus erat summis Ecclesiae Anglicanae Praelatis. Hi contra, »*animati plurimum, — profitebantur se nullius precibus, nullius minis, vel muneribus esse flectendos, quin in istâ causâ rectâ justitiam sequerentur, etiamsi periculum capitis immineret*[1]." Quapropter Simon Sudburius, Archiepiscopus Cantuariensis, et Courtnaeus, Episcopus Londinensis, literas miserunt, die 18 mensis Decembris anno 1377, tergiversanti Cancellario, eique mandarunt, ut bullam papalem diligenter, fideliter, et cito exsequendam curaret. »Citetis insuper (sic legitur in Archiepiscopi epistolâ), seu citari faciatis peremptorie dictum Johannem, quod tricesimo die juridico, post citationem sibi factam, in Ecclesiâ sancti Pauli London. compareat personaliter coram nobis, seu aliis subdelegatis nostris, sive commissariis in hac parte[2]."

Definito tempore, anno 1378 ineunte, judicio habito, non, prouti indictum erat, in Aede divi Pauli, sed in capellâ Archiepiscopalis palatii Lambethani[3], se stitit Wicliffus. Jam vero, Episcopis summâ cum gravitate eum interrogaturis, Londinensium multitudo,

---

1 Sunt verba Walsinghami. p. 205.

2 Vid. Lewis. p. 264. N°. XIV. Idem mandatum exstat in: Joan. Harduini *Collect. Conciliorum*. Tom. VII. p. 1872.

3 Hic frequenter morabantur Cantuarienses Archiepiscopi. Situm erat hoc palatium ad ripam meridionalem Tamesis, prope urbem Londini. Verisimile est, Episcopos, mutatâ sententiâ, illuc convenisse, quia, memores Londinensium tumultuationis, quae anno superiore, dum in ipsâ urbe erant congregati, obtinuerat, cavere cupiebant, ne iterum mali quid accideret.

de viro generoso, cujus sententiae multis placere coeperant, sollicita, circumdedit aedes; pars quaedam vi irruit in ipsum locum, ubi Praelati sedebant, verbaque faciens intercedere pro Wicliffo, atque, quominus res porro ageretur, cohibere studuit. Insuper Eques Ludovicus Cliffordius concilium intravit, delegatus a Johannâ, regis matre, cujus nomine vetuit Episcopos judicium de Wicliffo habere[1]. Tum nuntii hujus interdictione, tum irruptione minisque Londinensium, tam perculsi sunt Episcopi, qui paulo ante de severo atque intrepido animo se adeo jactaverant, *ut*, quod ait Walsinghamus, *molliti sint sermones eorum super oleum, — et ipsi facti velut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones.* Iterum igitur incolumis evasit Wicliffus. Neque etiam coram Pontifice Gregorio XI se sistere potuit, quanquam ille jusserat eum se adire, »*ubicunque tunc nos esse contigerit.*" Etenim die 27 Martii 1378 ex vitâ Papa migraverat.

Narravit porro Walsinghamus, hac opportunitate tradidisse Wicliffum concilio Ecclesiastico libellum quendam, *Conclusiones suas cum responsione suâ*, in quo exposuit sententias, quae, tanquam suae, transmissae erant ad Pontificem; quam expositionem postquam Walsinghamus Annalibus suis inseruit[2], ita pergit: »*Hoc eodem modo idem versipellis J. Wycklef, ponendo intellectum in suis nefandis*

---

1 Walsingham. p. 205. — 2 p. 206—208.

*propositionibus*[1], *ut dictum est, favore et diligentiâ Londinensium delusit suos examinatores, Episcopos derisit, et evasit. Quae omnes si simpliciter caperentur secundum modum, quo ipse in scholis et in publicis praedicationibus eas protulit, haereticam procul dubio sapiunt pravitatem. Non enim circumlocutionem aliquam eis immiscuit, quando eas laicorum auribus instillavit, sed nude et aperte, ut praescribuntur, eas docuit.*" Haec autem verba lubenter arripuit Lingardus in Wicliffi accusationem, ut in eo callidum timidumque animum nobis proponeret [2]. Quodsi historicus ille accurate hujus rei documenta investigasset, procul dubio, quod a fide ejus exspectare nobis licet, judicium tulisset magis verum et aequum. Nobis igitur, ut hanc causam aequius dijudicare conemur, haec sunt observanda.

Undeviginti illae theses, quae ad summum Pontificem erant missae, non exprimebant ipsam Wicliffi de Hierarchiâ sentiendi rationem. Etenim si exploremus libellos, quos, ut placita sua interpretaretur et illustraret, tradidit et Episcoporum concilio et Parliamento, in his documentis nonnullas ex thesibus istis

---

1 Id est: ita theses suas explicans, ut bonus iis inesset sensus.

2 *There is*, ait, *reason to believe, that the new Apostle was in no haste to grasp the crown of martyrdom. — He then proceeds to notice the several propositions, which he explains, qualifies, and defends: but occasionally, to impart to them something like a rational meaning, is compelled to make use of quibbles and evasions, which seem unworthy of a sensible or of an honest man.* Vol. IV. cap. 3. p. 213 sq.

ab ipso aliter enuntiatas invenimus, quod supra indicavimus[1]. Paulo scilicet post concilium in palatio Lambethano habitum, thesium alteram scripsit Wicliffus expositionem, quam *aliqualem responsionem ad bullam* ipse vocavit, inscriptam: *Regis Parliamento* [2]. Hunc libellum ad regni Ordines, qui die 5 Aprilis (1378) convenerunt, misit; sic cavere cupiens, ne regia familia et Angli nobiles in malam interpretarentur partem ipsius placita, quae » *innuere omnis politiae destructionem*," Papa illis affirmaverat. Ne autem quid dicamus de eo, quod in utrâque hac expositione, a Wicliffo scriptâ, non occurrit thesis, quae ordine *septima* est in bullâ papali, animadvertamus, theses illas, sive conclusiones, ut dicuntur, videri collectas fuisse ex dictis dissolutis, vario tempore variâque opportunitate, obiter subinde, pronuntiatis; quae vero inimici ex ore loquentis veluti subripuerant, atque male, utpote ea non satis intelligentes, cum aliis communicaverant [3]. Praeterea tenendum est,

---

1 Pag. 125 sqq., in notis.

2 Hoc Wicliffi scriptum servatum est inter MSS. Seldeni, atque typis mandatum in opere Lewisii, p. 318—326, et in op. Vaughani, Vol. I. App. N°. XVI, titulo: *Ista est protestatio reverendi doctoris una cum ejus conclusionibus, quae ab eo in subscriptâ formâ sunt positae, quae in consimilibus materiis, et dissimilibus formis, sunt et fuerunt reportatae et ad curiam Romanam transmissae, et sic in multis minus bene impositae.* — Quae conclusionum expositio, summam ratiocinationis si spectes, parum differt ab illâ, quae apud Walsinghamum exstat.

3 Id Wicliffus ipse testatus est in libelli exordio. *Et quae*, inquit, *per pueros sententia est fidei, quam dixi in scholis et alibi, ac, magis per pueros etiam, usque ad Romanam*

doctores Scholasticos in deliciis habuisse *paradoxa*, sive ad ostentandum ingenium, sive ad placita, auditorum excitatâ animi attentione, facilius inculcanda, quamobrem Wicliffus quoque iis usus est. Plura igitur paradoxa illis thesibus inerant, quae, nude spectatae, absurdae, imo vero impiae nonnullae videbantur: veruntamen expositae, quippe bonae et sanae sententiae, comprobabantur. Non mirum idcirco, postquam Wicliffus theses, quae ei adscribebantur, exposuerat, multas earum haeretici quid haud amplius sonare. Jam vero adversarii, qui mentem ejus antea non perspexerant, ecce! clamabant, dicta revocat prae timore; nunc aliter sententias suas explicat!

Agedum, his praemonitis, exploremus doctrinam, quam Wicliffi utraque thesium expositio continet; et videamus, num haec doctrina ejusmodi sit, ut, collata cum ipsis thesibus per se, non amplius, vel minus saltem, haeretica videri potuerit Hierarchiae vindicibus.

Protinus autem pie, sincere, modeste atque intrepide simul, in prolusione haec eum fatentem audimus: »*In principio protestor publice, sicut saepe feci alias, quod propono et volo ex toto corde meo,*

---

*curiam*, *transportata*, etc. id est: quod attinet ad opiniones, quas pueri, homines parum intelligentes, fovent de doctrinâ, quam docui in scholis et alibi, et quas, tanquam meas, diffamarunt, quin etiam ad curiam Romanam transmiserunt alii, qui non tantum pueriles, sed vaferrimi sunt homines, etc. Atque exponens thesin tertiam, ait: *Ista conclusio fuit lateraliter* (id est, a latere, obiter in colloquio quodam) *dicta uni doctori*, *magnificanti cartas hominum.*

*mediante Dei gratiâ, esse integer Christianus, et quamdiu manserit in me halitus, profiteri atque defendere, quantum sufficio, legem Christi. Et quod, si ex ignorantiâ vel quâcunque aliâ causâ in isto defecero, rogo Deum meum de veniâ. Et nunc, prout extunc,* (id est, si erravero, jam protinus) *revoco et retracto, submittens me humiliter correctioni sanctae matris Ecclesiae. Et quae per pueros sententia est fidei, quam dixi in scholis et alibi, ac, magis per pueros etiam, usque ad Romanam curiam transportata, ideo, ne Christiani scandalizentur in me, volo in scriptis dare sententiam, ex qua impetitus sum, quam volo usque ad mortem defendere, sicut credo, omnes Christianos debere, sed specialiter Romanum Pontificem, et caeteros sacerdotes Ecclesiae. Intelligo autem conclusiones ad sensum et modum loquendi Scripturae et sanctorum doctorum: quem* (sensum scil. et modum loquendi) *paratus sum exponere, et, dato* (probato), *quod sunt fidei contrariae, volo ipsas paratissime revocare* [1]." Quantus animi candor! Vir sane, qui ita loquitur, neque prae timiditate quadam, nec mortis metu, dissimulabit suas sententias, quas veras esse existimat. Obscura quidem illa interdum est Wicliffi expositio, neque subtilitate et argutiis Scholasticorum prorsus immunis: sed ne exspectemus, quaeso, isto aevo eam in disputando simplicitatem ac perspicuitatem, quae demum, invalescente

---

[1] Locum descripsi ex Annalibus Walsinghami, p. 206.

literarum philosophiaeque antiquae studio, obtinuerunt. Summa autem harum thesium spectare videtur ad impugnandam *Hierarchiam Romanam*.

In thesi I, II, et III [1], *certus terminus* constituitur *auctoritati papali*. Scilicet, qui initio se dixerant successores Petri, hi temporis decursu eo pervenerant superbiae, ut non hominis, sed Dei vicem se gerere affirmarent, ut universi terrarum orbis se dicerent Christi loco dominos, nec tantum omnium sacerdotum, verum et regum et principum dignitatem auctoritatemque ex uno pendere declararent Pontificis Romani arbitrio [2]. Hanc arrogantiam Wicliffus leviter tantum in praesentiarum oppugnabat: illam dignitatem, illudque dominium et imperium, neque ab ullo homine, neque chartis per homines compositis, neque ab ipso divino Numine, successoribus Petri tradi in perpetuum potuisse, contendebat. Cessare enim, dicebat, omnem dominationem, quum Filius regnum Patri tradidisset, (1 Cor. XV. 24.) Quamvis hoc loco, prouti animadvertit Vaughanus, de *determinatione* auctoritatis papalis solummodo loquitur Wicliffus, e

---

[1] Utar thesium serie, quam habet uterque Wicliffi libellus; in his illa thesis, quae in bullâ papali est *septima*, non occurrit.

[2] Innocentius III Johanni, Angliae regi, scribebat: »*Rex regum et Dominus dominantium, Jesus Christus, Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, ita regnum et sacerdotium in Ecclesiâ stabilivit, ut sacerdotale sit regnum, et sacerdotium sit regale, — unum praeficiens universis, quem suum in terris vicarium ordinavit.*" Opp. Lib. XVI. Ep. 131.

caeteris tamen thesibus patet, quid judicaverit de *naturâ* et *ratione* hujus potestatis. Mentem enim advertamus ad thesin ultimam. Papa, qui falli nescius existimabatur, atque omnes homines posse reprehendere et judicare, ipse vero judicari a nullo in terris, ille, aiebat Wicliffus, potest legitime, uti quivis alius clericus, corripi et accusari a subjectis, tam clericis, quam laicis, quotiescunque salus Ecclesiae id exigit. *Quum enim*, inquit, *sit frater noster peccabilis* [1], *subjacet legi correptionis fraternae* (*Matth. 18.*) — *Si fuerit obstinata defensio pravitatis haereticae* [2], *vel alterius peccati vergentis ad spirituale damnum Ecclesiae, debet, in casu, penes superiores accusari, ad finem, ut ex ejus correctione periculum Ecclesiae caveatur. Sic enim reprehensus est Petrus a Paulo* (*ad Gal. 2.*), *et multi Papae irregulares per Imperatores depositi. — Absit ab Ecclesiâ Christi, quod damnetur veritas, quia male sonat peccatoribus vel ignaris, quia tunc tota fides Scripturae foret damnabilis* (damnationi obnoxia).

A thesi VII usque ad XV, Ecclesiae Pontificiae doctrina de *potestate clavium*, valde reprehenditur. In thesi VII, VIII, XIII, et XIV disputavit Wicliffus de hujus potestatis *indole*, in thesi IX, X, XI et XII

---

1 Id est, *quum sit*, *prouti nos caeteri omnes*, *peccato obnoxius*, ἁμαρτωλὸς.

2 Haeresis, secundum Wicliffi sententiam, est: »*Errour meyntened agenst holy Writt*, *and that in life and conversation*, *as well as in opinion.*" Hac de re cum Augustino ei convenit.

*de causis, ob quas hanc potestatem exercere oporteat.* Perhibebant nempe Pontificii, auctoritatem Apostolicam ejusmodi esse, ut, quodcunque a Papâ ligatum erat vel solutum, illud solum esset ligatum vel solutum a Deo. Hanc autem arbitrariam, quam sibi vindicare studebant Papae, ligandi et solvendi potestatem fictitiam esse, atque illos, qui eam propugnabant, esse maledicos, dicebat Wicliffus. Fieri non posse affirmabat, ut Christi vicarius unice per bullas, licet hae congruerent cum suâ ipsius et collegii Cardinalium voluntate, quenquam vere habilitaret vel inhabilitaret (idoneum ad aliquid redderet, vel non idoneum). »*Oportet enim Dominum omni operatione vicariâ tenere primatum. Ideo, sicut in omni habilitatione subjecti prius exigitur gratia et dignitas habilitati, sic in omni inhabilitatione prius exigitur dignitas ex demerito inhabilitati, et per consequens, non pure ex ministerio vicarii Christi sit talis habilitatio vel inhabilitatio, sed desuper aliunde.*" Requiritur, ad aliquem reapse excommunicandum, ut prius et praecipue a semet ipso sit excommunicatus; adhuc enim, inquit, fideles Christiani canunt: »*Nulla nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas.*" Pontificem Romanum, contendentem, se ad suum arbitrium posse aliquem damnare vel absolvere, assimilabat illi *ἀνθρώπῳ τῆς ἁμαρτίας, τῷ υἱῷ τῆς ἀπωλείας*, qui in templo Dei considet tanquam Deus, Deum se esse, prae se ferens, de quo Paulus Apostolus locutus est in Ep. 2 ad Thess. — *Sed*, ajebat, *credere nos debemus, tum solum ligare vel sol-*

*vere Christi vicarium, quum id facit convenienter cum lege Christi, et virtute hujus legis*[1]. Potestatem vero illam exercendam non esse existimabat, nisi ad vindicandam Dei causam, inque alium nullum, nisi in adversarium legis divinae. Sed, ob injuriam sibi illatam, nunquam homini vindictam esse expetendam dicebat, prouti Christus praecepit: »*Si peccaverit in te frater tuus, remitte ei usque septuagies septies.*" —— »*Si enim Deus gratificat, quis est, qui condemnet?*" *Deus autem non offenditur, nisi fuerit propter adversantiam legis suae.* Et verba addidit eximia quaedam, utilitatem doctrinae, quam defendebat, indicantia: *Isti articuli* (IX et X), inquit, *juvant, ut lex Christi sit carior, cum oportet ipsam esse regulam dirigentem in quocunque processu legitimo, et ut fides Scripturae, ad Rom. 12., melius imprimatur:* »*Non vosmet ipsos defendentes, carissimi, sed date locum irae; scriptum enim est: Mihi vindicta, et ego retribuam.*" Quantopere adversaretur doctrinae Christianae, *censuris Ecclesiasticis uti ad puniendos eos, qui temporalia* (decimas, alia dona,) *denegarent clericis*, docuit in thesi XI. *Nam secundum Scripturam*, ait, *Deus est super omnia diligendus, et proximus, et inimicus, et plus, quam omnia temporalia hujus mundi. — Christus docet, honorem Dei et utilitatem Ecclesiae ante personale commodum, vel, negatio-*

[1] Wicliffus uti solebat saepenumero vocabulo: *lex*, vel *lex Christi*, *lex Dei*, ubi significabat omnem doctrinam hominibus divinitus patefactam.

*nem temporalium praeferendam.* Et hujus rei exemplum Christum suis dedisse discipulis, porro probavit, laudato loco ex Euangelio Lucae, cap. IX. 51—56. Item esse illicitum, *exigere temporalia in commodum Cleri per censuras Ecclesiasticas, simul implorando auxilium potestatis civilis*, probare studuit, allatis Codicis sacri (Luc. XXII. 25, 26), sancti Bernardi, Chrysostomi, aliorumque testimoniis.

Thesis XV agit de *sacerdotum, qui rite sunt ordinati, aequalitate et pari potestate.* Haec igitur sententia opposita erat Paparum indulgentiis et casibus, qui dicebantur, reservatis.

In thesi VI, XVI, et XVII, improbans Wicliffus sententiam Pontificiorum de personarum clericorum et bonorum Ecclesiae immunitate a potestate civili, definivit, *quatenus haec bona ipsique clerici sub imperium ditionemque regum et principum caderent.* Scilicet asseverabat, posse reges et dominos saeculares auferre legitime Ecclesiae bona a clericis delinquentibus, atque bonis illis abutentibus; quod probabat e lege civili et canonicâ, exque Codice sacro. Addebat tamen: *Sed absit ex illo credere, quod intentionis meae sit, saeculares dominos licite posse auferre, quandocunque et quomodocunque voluerunt, vel nudâ auctoritate suâ, sed omnino auctoritate Ecclesiae, in casibus et formâ limitatis a jure.* Porro dicebat, omnia bona, quae Ecclesia possidebat, sub certâ conditione ei esse donata, *ut* nempe *Deus honoraretur et Ecclesia aedificaretur.* Quodsi huic conditioni non satisfaciant clerici, verum abutantur donationibus,

*tum*, inquit, *perit titulus donationis*, *et per consequens*, *domini temporales*, *dantes eleemosynam*, *rectificare debent errorem*, auferendo bona a quovis clerico, qui iis abutitur. Hac autem in re, *excommunicatio non debet obstare justitiae complemento*, id est, Clerus excommunicationis sententiâ dominos saeculares deterrere non debet, ne hi violata jura exsequantur [1].

---

[1] Operae pretium est hic animadvertere, Wicliffum postea longe audaciorem factum esse, atque sententiam suam hac de re ita explicuisse, ut palam principes caeterosque dominos saeculares evocaret ad auferenda ab Ecclesiâ omnia bona temporalia, quibus inde a tempore Constantini Magni erat donata. Hac ex parte Ecclesiam reformare valde studuit, uti patet imprimis ex *Trial.* Lib. IV. cap. 18., quod inscribitur: *Saeculares propter dotationem sunt puniendi.* » *Narrant*, inquit, *Chronica*, *quod in dotatione Ecclesiae*, *vox audita est in aëre angelica*, *tunc temporis sic dicentis: Hodie effusum est venenum in Ecclesiâ sanctâ Dei. Unde a tempore Constantini*, *qui sic dotavit Ecclesiam*, *decrevit imperium Romanum*, *et in ipso dominium saeculare.* — *Ideo si* (reges et principes caeterique saeculares domini) *volunt habere dominia sua integra*, *non diabolice lacerata*, *pacem Ecclesiae reformatam*, *et tenentes* (subjectos) *suos*, *secundum legem Domini*, *validos*, *non rebelles*, *studeant proprie et attente*, *ad ordinationem Christi quoad suam Ecclesiam*, *quantum sufficiunt*, *reformare; quia ex fide supponere habemus*, *quod*, *sub illâ ordinatione*, *foret prosperrime regulata. Tunc enim exstingueretur simonia in Clero circa temporalia*, *implicatio et nefandissima ignorantia*, *desidia et haeresis Cleri Christi. Et per consequens secundo cessarent bella*, *et regnorum translatio per conquestus* (victorias), *et sic longe iniqua tenentium pauperum spoliatio*, *existente integro mundano dominio in manu brachii saecularis. Et quod maximum est*, *currente libere et spissim sermone Christi*, *plures ad patriam volitarent. Tunc enim cessarent blasphemiae de spirituali potestate Paparum*, *quantum ad absolutionem a poenâ et*

Thesis IV et V earumque explicatio obscuritate quadam laborant, non quidem quod ad verba attinet, sed quod ad sensum. Ad illam enuntiandam inductus fuisse videtur dicto quodam Augustini, *cuncta esse justorum*[1]; de quâ sententiâ dicit Wicliffus, eam *allicere hominem ad amorem Domini, qui dilexit nos ad tot veras divitias.*

Quid igitur sentiret de *Hierarchiae Romanae indole* et *ratione*, Wicliffus illo tempore palam professus est. Si autem, eum dijudicantes, aequi esse velimus, agnoscamus oportet viri in causâ suâ agendâ animi fortitudinem, veri amorem, et prudentiam, qui, etiamsi eas proferre sententias ausus sit, quae Clero minime placere sciebat, tamen exasperare judices suos noluit. Neque illas divulgabat ac defendebat sententias, quia rebus novis studeret et perturbare cuperet Ecclesiam; sed, tradens eas iisque homines imbuens, fore sperabat, ut Ecclesia instauraretur Apostolica. Propterea quoque, exponens illa placita, hominibus imprimis commendabat usum Codicis sacri, eosque reducere vole-

---

*a culpâ, et infundabilem concessionem indulgentiarum.* — *Nec potest fieri a Pseude vel aliis Antichristi discipulis evidentia perfunctoria, quod dominis temporalibus non licet ista corrigere.* — *Nos autem dicimus illis* (dominis saecularibus), *quod nedum possunt auferre temporalia ab Ecclesiâ habitudinaliter delinquente, nec solum, quod illis licet hoc facere, sed quod debent sub poenâ damnationis gehennae, cum debent de suâ stultitiâ poenitere, et satisfacere pro peccato, quo Christi Ecclesiam macularunt* (nempe locupletando eam bonis et divitiis)."

[1] Vid. Lewis, p. 57. in notâ.

bat ad simplicem illam cogitandi, agendi, vivendique rationem, quae in Euangelio Christi praescribitur. *Istas conclusiones*, ait, *dixerim ut granum fidei, separatum a paleâ, qua ignitur ingratum lollium, quod, post florem ruboris vindictae foetentis, parat pabulum — Antichristo. Cujus* (Antichristi) *infallibile est signum, quod regnet in Clero venenum luciferinum, superbia, consistens in libidine dominandi, cujus conjux, terrenorum cupiditas, concreet filios diaboli, exstinctis filiis Euangelicae paupertatis* [1]. *Judicium vero ubertatis hujus propaginis probatur ex hoc, quod multi etiam filii paupertatis degeneres fovent loquendo, vel tacendo, partem Luciferi, non valentes, aut non audentes, propter semen hominis peccati injectum in cordibus, aut* (propter) *timorem servilem de amissione temporalium, stare pro Euangelicâ paupertate.* Tantum autem abfuit, ut Wicliffus prae metu et ignaviâ tunc placita illa revocaverit, quae impugnabant vel maxime Hierarchiam Romanam, ut ea defendere usque ad mortem se paratum esse dixerit, nisi erroris convinceretur. Nam meliora edoceri haud recusavit: postulavit tantum, ut Ecclesia non *suam* pronuntiaret sententiam, verum dirigeret judicium ad *Euangelii normam;* cujus prae-

---

1 Per hos intelligendi videntur homines simplices, modesti, expertes inexplebilis honorum cupidinis et auri sacrae famis, quos opponit Wicliffus clericis istis vanis, ambitiosis, superbis, nil nisi inania sectantibus. Sic in hoc libello alicubi dixit: *Hae conclusiones imprimunt mundialibus fidem Christi, ne submergantur in pelago saeculi transeuntis cum concupiscentiâ ejus!*

cepta, quum non videri, sed vere esse Christianus vellet, eoque omnes intenderet vires, se observaturum atque tuiturum esse, testantem eum audivimus [1].

Magnopere metuisse Pontificem Romanum placita illa Wicliffi, in quae modo inquisivimus, mirum non est. Similia enim hisce foverant, illo ipso saeculo ineunte, duumviri praeclari, Marsilius de Padua et Johannes de Janduno, qui se efficaciter immiscuerant controversiae inter Ludovicum Bavarum, Germaniae Imperatorem, et Papam Johannem XXII. Marsilius Menandrinus [2], in civitate Italiae Patavii natus, homo plebejus atque Ludovici Imperatoris medicus peculiaris, imprimis philosophiae fuit gnarus oreque disertus († post 1342). Johannes de Janduno sive Ganduno, natione Gallus, patriâ Campanus [3], magnae quoque eruditionis laude conspicuus fuit († post 1338). Uterque, juris civilis peritissimus, indignabatur, majestatem Imperatoris Germanici a tyrannide Pontificiâ conculcari, atque propterea opus gravissimum, duorum mensium spatio, communi operâ composuerunt

---

1 Assentiri igitur non possumus sententiae Viri Clar. Flathii de Wicliffi hac in causâ agendi ratione. *Nicht zu bezweifeln ist es*, ait ille, *dass es hier von den weltlichen Grossen und von Wicliffe selbst abgesehen war auf eine Täuschung. — Die Bischöfe wussten es gewiss recht genau, dass es eine Täuschung war, und dass sie einige leere Worte hinnehmen sollten für Etwas. Gesch. der Vorl. der Ref.* Vol. II. p. 194.

2 Ab aliis Marsilius de Raymundinis appellatur.

3 Ita nomen viri scribendus est, non *de Gandavo:* nam a loco natali, qui pagus est medius inter duas Campaniae urbes, *de Janduno* dictus fuit. Vid. Casimiri Oudini *Comm. de Scriptt. Eccl. ant.* Tom. III. p. 883 sqq.

et ediderunt anno circiter 1324, cui titulus: *Defensor Pacis*[1]. Hocce opere impugnabant imprimis supremam Papae auctoritatem; quocirca a Johanne XXII excommunicati sunt anno 1327, eorumque doctrina tanquam haeretica damnata est. Num placita horum virorum nota fuerint Wicliffo, affirmare non ausim. Cernitur quidem magna opinionum sententiarumque de Hierarchiâ similitudo in doctrinâ, et illorum, et Wicliffi[2]; veruntamen, si Wicliffus ab aliquo ad hanc quaestionem illustrandam profecerit, probabilius videtur, vim in mentem ejus habuisse scripta popularis ipsius Occami, cujus opera, uti supra alicubi jam monuimus, studiose legebat. Occamus scilicet, ad severiores pertinens Franciscanos, qui, Papae Johanni XXII quam maxime infensi, stabant a partibus Ludovici Bavari, hujus Imperatoris causam fortiter pro-

---

[1] Sunt, qui hoc opus soli Marsilio attribuant. Reperitur in Goldasti *Monarchiâ S. imp. Rom.* Tom. III. p. 154—313, hoc titulo: *Adversus usurpatam Romani Pontificis jurisdictionem, de re Imperatoriâ et Pontificiâ liber, qui Defensor Pacis inscribitur, tribus partibus, quas ipse Dictiones appellat, sectus: Ad invictissimum et constantissimum Imp. Caes. Ludovicum Bavaricum, a tribus Romanis Pontificibus indigna perpessum.* In Dictione, sive Parte III. cap. 2. additae sunt XLII conclusiones, factae ex praecedenti ratiocinatione, quae admodum sunt memorabiles. Vid. p. 309. — Marsilius, inter alia, dedit quoque *Tractatum de translatione imperii.* ibid. p. 147 sqq.

[2] Conferas conclusiones in Parte III operis: *Defensor Pacis*, praesertim excerpta, quae ex eodem opere dedit Gieselerus, in Hist. Eccl., Vol. II. P. III. p. 30—37. not. n. cum iis, quae de Hierarchiâ Romanâ et de imperio civili Wicliffus scripsit, v. c. in *Trial.* Lib. IV. — Vid. etiam Flathe, op. laud. Vol. II. p. 111, 112.

pugnavit [1]. Vir quum esset acri ingenio praeditus, omnemque superbiam aversaretur, maxime Cleri in mentes hominum dominationem, multis, quae edidit, scriptis, Papae tyrannidem, avaritiam et universe dignitatem auctoritatemque, quam arctis circumscribebat limitibus, petulanter exagitavit [2].

Eodem igitur spectare sententias et studia Wicliffi, quo illorum virorum spectaverant doctrina et conatus, bene perspexit Gregorius XI, inque bullis, quas contra Wicliffum emisit, haud obscure significavit, etiamsi Occami nomen non recitaret. Neque fugit illud Episcopos Angliae. Quocirca, thesium explicatione cum concilio Lambethano communicatâ, »*ab Episcopis mandata cepit Wicliffus*, ut refert Walsinghamus, *ne ulterius in scholis seu sermonibus, propter laicorum scandalum, tales propositiones frequentaret*" [3]. Hierarchiae profecto vindices par erat supprimere vocem ejus, qui publice Ecclesiae vitia detegebat, qui jura civilia vindicabat adversus Pontificiorum dominandi libidinem, qui laicis concedebat facultatem ac-

---

1 Occamum Ludovico dixisse narrant: »*Tu me defendas gladio, et ego te defendam calamo.*" H. Whartonus apud Caveum. Vol. II. p. 29.

2 Sic de eo judicatum est: *Dum theologica scripsit, nemo melius, dum contra Ecclesiam, nemo virulentior.* Opera ejus *de Ecclesiasticâ et Politicâ potestate* inveniuntur in Goldasti *Monarchiâ*, etc. Tom. III. p. 313 sqq. — *Octo quaestiones super potestate summi Pontificis, scriptae a. 1326.* — *Dialogus, scriptus a. 1328.* — *Compendium errorum Papae Johannis XXII.* — Scripta haec multum legebantur, eximieque nocebant Paparum auctoritati despoticae.

3 *Hist. Angl.* p. 208.

cusandi Papam delinquentem, et unicam fidei Christianae normam et regulam pronuntiabat Codicem sacrum. Attamen custodiâ Wicliffum coërcere tunc ausi non fuisse videntur Episcopi, quandoquidem per nuntium, a regis matre ad eos missum, admoniti erant, ne de viro illo ferrent ejusmodi sententiam. Wicliffus vero contra Episcoporum mandatum haud desiit in Hierarchiam atque perversam Ecclesiae disciplinam vehementer invehi, et quâvis opportunitate Anglos adhortari ad reformandam Ecclesiam. Cujus perseverantiae insigne dedit documentum.

Excitatus enim theologiae quidam doctor (nomen ejus reticetur) placitis, quae Wicliffus nuperrime defenderat et scripto tradiderat Episcopis, paulo post *Papae auctoritatem supremam* et *infallibilitatem*, quae dicitur, in libello quodam vindicare studuit. Wicliffus huic doctori, quem vocavit *theologum mixtum* (obscurum, cujus sententiae difficiles essent intellectu), responsum dedit. Uti ex hocce tractatu patet, contenderat ille doctor obscurus, Papam neque errori, neque peccato mortali, esse obnoxium, et hanc ob rem, quodcunque Papa constitueret et decerneret, recte et bene se habere. »Itaque, inquit Wicliffus, licet etiam Papae quemvis librum ex Canone scriptorum sacrorum pro lubitu delere, et huic alium quemlibet substituere totumque immutare Codicem sacrum, et hoc modo ipsas literas sacras haeresi notare." Tum refert, se, quia impiam istam de summi Pontificis infallibilitate sententiam damnabat, fuisse accu-

satum apud curiam Romanam, et Papam in bullis suis mandasse Universitati Oxoniensi, Episcopis et regi Angliae, ut amoverent ejusmodi haereticum. Deinde redit ad nonnullas ex thesibus, propter quas in judicium erat vocatus, et haeresin inustam fuisse dicit iis maxime, quae de Ecclesiae bonis et de Papâ, peccatis obnoxio, agebant. Tandem, iterum disserit de potestate damnandi homines eosque absolvendi. »Qui perhibet, ait, sive sit Papa, sive clericus aliquis, se posse damnare et absolvere quoscunque et quandocunque vult, idque tam certo, quam ipse omnipotens Deus, is calumniator est et haereticus, qui ab hominibus Christianis non est tolerandus, et minime quidem tanquam dux, qui aliis praeït, quum in profundum eos sit praecipitaturus." Dominos idcirco saeculares exhortatur, ut huic resistant, propterea imprimis, quia tenebras Aegyptiacas oculis eorum offundit, eosque privat libertate, quam donat lex Christi. Omnes Christianos admonet, tam laicos, quam clericos, ut tueantur legem Dei, atque consistant tanquam milites Jesu Christi, quin cadant veluti in acie, postposito omni doloris metu et honoris in terrâ opumque cupiditate. »Esto, inquit, Papa, vel ejus vicarius, quotiescunque contendat se damnare vel absolvere, reapse tunc damnato vel solvito: ast quî consistet mundus? Si enim reapse damnentur, et sempiternas poenas subeant, quos Papa, resistentes ipsi, nitenti sibi acquirere bona temporalia cujuscunque generis, vinculis aeternae damnationis se posse adstringere perhibet, sequitur sponte, fore, ut occupet ille facillime omnia orbis terrarum

regna, utque pervertat nullum non Christi institutum"[1]. Tantâ vehementiâ et παῤῥησίᾳ Wicliffus hac opportunitate contra Ecclesiam Pontificiam scripsit. Et, quae successerunt, tempora persuaserunt ei magis magisque, reformationem totius Ecclesiae esse admodum necessariam, atque huic inchoandae aevum illud valde esse opportunum. Nam inciderunt ea tempora in ipsam Ecclesiae perturbationem atque discrimen.

---

Mortuo scilicet Gregorio XI, Cardinales die 8 Aprilis 1378 conveniebant ad eligendum successorem. Ab anno 1309 Pontifices sedem suam Avenione habuerant: quae demigratio, captivitas Paparum Babylonica per jocum dicta, uti et Pontificum obedientia et submissio regibus Galliae, displicebat jam dudum Italis. Hi igitur metuentes, ne rursus Papa, natione Gallus, eligeretur, seditionem movisse dicuntur, qua effectum, ut Cardinales, quanquam majorem partem Galli, Neapolitanum, Bartholomaeum de Pregnano, Archiepiscopum Barii, ornarint dignitate Pontificiâ[2], quam ille, assumto nomine Urbani VI, circiter ad finem anni

[1] Vid. de hocce Wicliffi tractatu, cujus MS. adhuc exstat, Lewisius, p. 326 sqq. — Vaughan. Vol. I. p. 402 sqq. p. 406. not. 18.

[2] Sic memoriae res prodita est a Gallis: negant vero scriptores Itali, Cardinales ad hanc electionem commotos fuisse populi quadam seditione. vid. Gieseler. Vol. II. P. III. p. 122. — cf. etiam epistola, data Romae, 8 Maji 1378, quam de electione Urbani VI collegium Cardinalium transmisit Imperatori; hujus exemplar exstat apud Knyghtonum. p. 2632.

1389 aegre tuitus est. Cardinales enim exacerbati, quod Urbanus mores clericorum, imprimis principum eorum, severe corrigere studebat, secesserunt Anagniam, et electionem, quam fecerant, quippe ad eam compulsi, irritam declararunt. Alium vero Fundis die 20 Septembris elegerunt Papam, Robertum, Comitem Genevae, qui, Clemens VII nuncupatus, Pontifices Gallos imitabatur Avenionemque petebat, Urbano contra Romae commorante. Jam in Ecclesiâ *magnum*, quod dicitur, *schisma Occidentis*, per dimidium fere saeculum obtinuit, in magnum Hierarchiae detrimentum. Papam agnoverunt Clementem VII Galli horumque socii, Scoti, Sabaudi, Lotharingi, paulo post incolae Castiliae et Arragoniae, atque Navarri: Germani vero, Angli, Dani, Sueci, Poloni et Borussi Urbanum VI. Sic unitas Ecclesiae Latinae disrumpebatur: duo nunc aderant in terrâ, deinde interdum tres, Christi vicarii, qui singuli summâ concertatione de imperio Ecclesiastico dimicarunt, sibique invicem diras imprecati sunt. Haud raro quoque ad arma itum est. Habuit autem hoc schisma effectus exitiosos, cum auctoritati papali, tum veteri disciplinae et moribus Ecclesiae. Fluctus, quibus se objicere nitebantur Pontifices, in eos ipsos vulgo redundabant: dignitas eorum et potestas frangebatur: ac populus, illos, qui se Christum in terrâ repraesentare affirmabant, discordias concitantes videns, et haesitans, quemnam ex iis verum agnosceret Ecclesiae caput, in dubium vocare coepit auctoritatem Pontificiam, deque Paparum sanctitate et infallibilitate diffidere. His ac-

cessit, quod multi bene perspiciebant, Papam Avenionensem illis temporibus pendere fere a nutu regis Galliae. Tunc quoque diminuebantur divitiae sedis Apostolicae; hinc vero exactiones et simonia, quo quidem crimine jam dudum se adstrinxerant Pontifices, magis fiebant molestae. Hanc tamen culpam, initio Pontificatus, minus commereri visus est Urbanus VI. Dum autem supremi Ecclesiae rectores fere unice rerum terrestrium curam gerebant, atque ambitio et dominandi libido mentes eorum maxime occupabat, quid mirum, si religionis Christianae lux obscuraretur, si negligeretur cultus Dei, Clerique conditio moralis in pejus rueret? Quam aptae igitur fuerunt illae temporum angustiae ad confirmandum Wicliffum in suâ sententiâ, Ecclesiam omnino esse reformandam! Et quidem hanc habuerunt in mentem ejus vim. Etenim continuo evulgabat libellum, *de Papâ Romano*, sive *Schisma Papae*[1]; inque orationibus, coram coetu Luterovortano habitis, frequenter hujus rei eventum commemorabat. In hocce libello scribebat, Hierarchiâ contra semet ipsam divisâ, opportunitatem egregiam esse datam abrogandi istas leges et consuetudines, quibus Clerus perquam erat corruptus totaque societas Christiana afflicta: evocabat propterea reges et principes, ut aggrederentur Ecclesiae reformationem[2].

---

1 MS. in Coll. Trin. Dubl. Vid. Vaughan. Vol. II. p. 4—6.

2 *Trust we*, inquit, *in the help of Christ; for he hath begun already to help us graciously, in that he hath clove the head of Antichrist, and made the two parts fight against each other. For it is not doubtful, that the sin of the Popes, which hath been so long continued, hath*

Hunc igitur in modum Wicliffus excitabat, non tantum populares suos, sed et omnes, quibus res Christiana curae cordique erat, adversus Hierarchiam Romanam, quâ imprimis impediri censebat, quominus laete vigeret religio. Idque egit summâ cum firmitate et constantiâ, ita ut nihil a proposito eum avertere posset. Quamcunque arripiens opportunitatem, sive publicis lectionibus, sive orationibus sacris, sive scriptis suis, meliora, quae videbat, cum hominibus communicare studuit. Atque illa animi fortitudo nunquam ei defuisse videtur, ne tum quidem, quum alii fere homines, quippe, languentibus corporis viribus, animo simul deficere solent. Memorabile lubet afferre documentum, ex quo Wicliffi indoles plane cognoscitur. Oxonii, currente anno 1379, in gravem incidit morbum, cujus mali fama per Universitatem brevi exibat. Quum autem ad aures perveniret fratrum Mendicantium, et morbus quotidie ingravesceret, ita ut ad mortem aegrotaret Wicliffus, cupiebant horum nonnulli eum invisere, quem jamjam animam esse exspiraturum putabant. Quocirca quatuor doctores regentes, ex suis singulos ordinibus, domum ejus delegarunt: et, quo solennior esset legatio, his adjunxerunt quatuor urbis Oxoniensis senatores, qui Aldermanni vocabantur. Ubi igitur ad eum accesserant, in lecto decumbentem, pri-

---

*brought in this division. — Emperors and Kings should help in this cause, to maintain God's law, to recover the heritage of the Church, and to destroy the foul sins of clerks, saving their persons. Thus should peace be established, and simony destroyed.* Memorabilem hunc locum debemus Vaughano. l. l.

mum comiter salutarunt, ac, sortem ejus se commiserari simulantes, ei apprecati sunt recreationem a morbo. Deinde tamen fratres, gravissimas, quae ex disputationibus ejus et scriptis sibi obvenerant, calumnias et molestias in memoriam ei revocantes, hortati sunt, ut, morti nunc proximus, errorum et criminum poenitentiâ ductus, suam defleret iniquitatem, ac retractaret protinus, quaecunque contra ipsos dixerat vel scripserat. Wicliffus vero, his auditis, viribusque resumtis, familiares advocavit, jubens eos paulum per pulvillos ipsum erigere. Quod quum esset factum, altâ voce dixit: »*Non moriar, sed vivam, nec cessabo unquam exprobrare pessima studia fratrum*" [1]. Isti, animo confusi, ab eo discesserunt: ipse autem deinceps convaluit, et promissis stetit.

Jam si respicimus ad eam vitae partem Wicliffi, quam huc usque pervestigavimus, de viro illo posse affirmare haud immerito nobis videmur, quod Erasmus de Luthero dixit, *tetigisse eum coronam Pontificis et ventres monachorum.*

---

[1] Vid. Baleus. Cent. 6. p. 469. Refert Joh. Foxius, memoriae a nonnullis proditum esse, Wicliffum, e lecto sese attollentem, illud e Psalmo CXVIII. 17, ingenti spiritu, recitasse: »*Non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini.*" op. laud. p. 13.

# CAPUT IV.

WICLIFFUS, CODICEM SACRUM FIDEI CHRISTIANAE UNICUM HABENS FONTEM ET NORMAM, ECCLESIAE DOCTRINAM ERRORIBUS EXPURGARE STUDET.

*Ab anno 1380 ad annum 1382 exeuntem.*

Hactenus Wicliffus conatus erat mores emendare cum laicorum, tum imprimis clericorum, et oppugnaverat continue monachos Mendicantes, quippe qui mores vel maxime depravaverant: disputaverat item plurimum adversus Hierarchiam Romanam, de rebus, quae ad auctoritatem, regimen et disciplinam Ecclesiae attinebant: sed non hîc substitit vir ille, aequalibus suis longe perspicacior. Non tantum reformare *mores*, evertere *Hierarchiam*, sed etiam Ecclesiae *doctrinam* emendare summopere studuit.

Juvenili jam aetate, ut vidimus, Wicliffus legere imprimis libros sacros amabat, inque eos assidue inquirere semper in deliciis habebat. Quo autem magis illum adibat doctrinae Christianae fontem, atque suam inde hauriebat fidem, eo perspiciebat magis errores et vitia doctrinae, quae in Ecclesiâ Pontificiâ erat recepta. Ad hanc igitur purgandam et emendandam nunc progressus est: utque laici de sentiendi cogitandique ipsius ratione judicare possent, atque ipsum inter et Episcopos essent arbitri, copiam iis fecit legendi Codicem sacrum et examinandi Ecclesiae dogmata. Commendabat enim scripta sacra tanquam unicam fidei normam omnibus hominibus, tam laicis, quam clericis, et exhortabatur laicos, ne in Ecclesiae sententiam jurarent vel in eâ acquiescerent, sed ut ipsi inquirerent ipsique judicarent. Sic demum, aditu unicuique dato ad ipsum fontem, unde illa emanat doctrina, quae genus humanum recreat et beat, fore, ut religio Christiana laete denuo vigeret suamque exsereret vim in omnem hominum societatem, persuasissimum sibi habuit. Huc scilicet spectarunt omnia Wicliffi studia et conatus reformandi omnes.

Saepenumero Wicliffus vernaculâ linguâ scribebat de Ecclesiae vitiis: orationes sacras, quas habuit permultas, intelligere omnes poterant, clerici et laici, docti et indocti, nobiles et plebeji: nam in suggestu sacro dicebat Anglice. Atque haec ejus consuetudo patrio sermone, tum annuntiandi Euangelium, tum scribendi saepenumero de rebus theologicis et Ecclesiasticis, Hierarchiae valde

obfuit, quandoquidem lingua Latina praesidium huic erat. Etenim, quum sacerdotes in celebrando cultu sacro hac linguâ Deo adhiberent preces et honores ac verba facerent ad concionem, quum omnia, quae scribebant clerici, vel quae decernebat Ecclesia et constituebat, hac peragerentur linguâ, populus fere non intelligebat, quae dicebantur vel literis mandabantur ab illis. Sed non obesse solum Hierarchiae, verum rei Christianae imprimis prodesse cupiebat Wicliffus; et propterea Codicem sacrum e Latino Anglice vertit. Quo tempore gravissimo huic operi manum admoverit, non constat: absolutum vero id fuisse inque lucem emissum videtur anno circiter 1380. Profecto Codicis sacri versio novi quid hoc aevo in Angliâ fuit. Nam, quanquam partes hujus Codicis in patrium versae erant sermonem ante Wicliffi aetatem, integro Codice, in vernaculam linguam translato, tunc non gaudebant Angli. Simul vero ejusmodi opus absque Episcoporum vel summi Pontificis consensu in laicorum commodum evulgare, res erat periculosa et audaciâ plena; quippe, praeterquam quod versio Latina, quam *vulgatam* dicunt, una authentica ab Ecclesiâ habebatur, interdictus erat illo tempore laicis usus Codicis sacri: quique versionem habebat, haeretico hunc aequiparabant. Praeparare autem Wicliffus jam conatus erat clericos et doctores ad accipiendam versionem librorum sacrorum, opere, quod paulo ante edidit, praeclaro Latineque conscripto, *De veritate et sensu Scripturae.* Disputavit praecipue in eo de summâ auctoritate Codicis sacri deque facultate, quâ

unusquisque gaudeat, inquirendi in libros sacros et per se judicandi de rebus, quae ad doctrinam Christianam pertinent; quam quidem qui pernoscere studet, huic libros illos sufficere dicebat. Praeterea in eodem opere, de Cleri auctoritate, de sacramentis Ecclesiae, de obligatione morali, aliisque argumentis fuse disseruit, ita ut volumen illud continere dicatur omnem fere Wicliffi doctrinam [1].

Quoniam autem Wicliffus Codicem sacrum in Anglicum verterat sermonem, atque sic laicis copiam fecerat legendi et intelligendi scripta sacra, propterea multum, uti ipse fassus est [2], vexarunt eum et conviciis prosciderunt clerici, objicientes, quod temere in ipsorum irruebat possessiones et munera, qui-

---

[1] Vid. Vaughan, Vol. II. p. 7., qui illud opus esse dicit, »*the most extended, if not the most systematically arranged, of all his productions.*" Duo tantum operis hujus exemplaria MSS. exstare feruntur, unum in Bibl. Bodl., alterum in Coll. Trin. Dubl. cf. opusculum, cui titulus: *Writings of John Wickliff — printed for the Rel. Tract Soc. Lond.* p. 37. — Jamesius, in Apologiâ, quam scripsit pro Wicliffo, affirmavit haec: » *That Wickliff, in his book: De veritate Scripturae, affirms positively, that God's will is plainly revealed in the two Testaments. That a Christian man, well understanding Christ's law, may thence gather sufficient knowledge during his pilgrimage here upon earth. That we ought to admit of no science or law, which is not subordinate to this law, or helpful to bring us to this law. That, if the Pope should attempt to dispense with holy Scripture, as some feign that he may, he should no longer be accounted a Christian.*" Vid. op. modo laud. p. 178. not. †.

[2] In oratione quadam de Matth. XI. 23. vid. Baber, *Histor. Account of the Sax. and Engl. versions of the Scriptures*, praef. ejusdem Editioni Vers. N. T. Wicliffi p. LXIX.

bus fungebantur, reddebat inutilia. Hanc ob causam quoque Knyghtonus scribebat: »*Hic magister Johannes Wyclif Euangelium, quod Christus contulit clericis et Ecclesiae doctoribus, ut ipsi laicis et infirmioribus personis, secundum temporis exigentiam et personarum indigentiam, cum mentis eorum esurie dulciter ministrarent, transtulit de Latino in Anglicam linguam, non angelicam; unde per ipsum fit vulgare, et magis apertum laicis et mulieribus legere scientibus, quam solet esse clericis admodum literatis et bene intelligentibus, et sic Euangelica margarita spargitur et a porcis conculcatur, et sic, quod solet esse carum clericis et laicis, jam redditur quasi jocositas communis utriusque, et gemma clericorum vertitur in ludum laicorum, ut laicis sit commune aeternum, quod ante fuerat clericis et Ecclesiae doctoribus talentum supernum. Sicque sponsus Ecclesiae conqueritur, et cum propheta potest clamare: Sedebit honor Ecclesiae solitarius, et tacebit, quia levavit se super se!*"[1].

Infra, ubi de quibusdam Wicliffi scriptis peculiariter agere nobis proposuimus, plura de hac versione, opere praestantissimo, dicemus: nunc autem videamus, quibusnam ille argumentis adversus Pontificios probaverit, licitum esse, imo vero utilissimum esse opus, Codicem sacrum in vernaculam transferre

---

[1] p. 2644.

linguam, ut ita laici legere scripta sacra inque ea studiose inquirere possent, atque de doctrinâ, quae in illis libris continetur, ipsi per se judicantes, melius tenerent, quid esset bonum, quid malum, quid honestum, quid turpe, quaenam essent consectanda, quaeque fugienda. Audiamus igitur ipsum dicentem. *Cum veritas fidei*, inquit [1], *eo plus rutilat, quo plus plane cognoscitur, et Satrapae* (Episcopi) *damnant fidelem sententiam, ex invidiā personae, in auribus saecularium dominorum: ut veritas sit nota planius atque diffusius, necessitantur fideles sententiam, quam promunt, enucleare tam in Latinā linguā, quam in vulgari. Dictum est a* Prospeculo saecularium dominorum [2] *in linguā vulgari, quomodo se debent regulare in toto conformiter legi Christi. Nec sunt audiendi haeretici, qui fingunt, quod saeculares non debent legem Dei cognoscere, sed sufficit iis notitia, quam sacerdotes et Praelati iis dixerint vivā voce. Nam Scriptura est fides Ecclesiae; et quanto est nota planius in sensu orthodoxo, de tanto est melior. Ideo, sicut saecula-*

---

[1] In tractatu, cui titulus: *Speculum saecularium dominorum.* MS. Lat., in Bibl. Reg. et Bodl. vid. Vaughan. Vol. II. p. 390. Locum descripsi ex opere Jacobi Usserii, Armach. Archiep., *Hist. dogmatica controversiae inter Orthodoxos et Pontificios de Scripturis et Sacris vernaculis.* Lond. 1690. p. 160 sq.

[2] Jam antea videtur Wicliffus Anglice scripsisse libellum, eodem titulo ornatum, quo ille, unde hicce a nobis affertur locus. Bene igitur titulum prioris libelli interpretatus est Lewisius, ubi vertit, *A former Looking-glass for secular Lords.*

*res debent fidem cognoscere, sic, in quâcunque linguâ plus nota fuerit, est docenda. Similiter, cum veritas fidei sit clarior et rectior in Scripturâ, quam sacerdotes sciunt exprimere, — cum multi etiam Praelati, (si fas est dicere), sunt Scripturae nimis ignari, et alii celant puncta Scripturae, quae scil. sonant in humilitatem et paupertatem Cleri, et multi tales defectus sunt in vocibus sacerdotum, — utile videtur esse fideles sensum fidei taliter reserare. Similiter juxta fidem, quam docuit Apostolus, Hebr. XI, Sancti per fidem vicerunt regna; et maxime ex stimulo fidei ad pàtriam properarunt. Quare igitur non debet fons fidei notificari populo per media, per quae homo potest scire clarius? Qui igitur hoc impedit, vel contra illud remurmurat, procurat, quod populus maneat damnabilis et infidelis. Non igitur capiendae sunt, ut fides, leges,* [*quas*] *Praelati fabricant; nec credendum est suis vivis vocibus, nisi de quanto fundatae fuerint ex Scripturâ: cum, secundum crebram doctrinam Augustini,* Lib. II de doctrinâ Christianâ, in fine epistolae II ad Volusianum, *Omnis veritas est Scriptura. Hoc igitur bonum faceret ista Scripturae enucleatio* (translatio), *quod redderet sacerdotes et Praelatos in verbis, quae reserant, insuspectos. Praelati autem, Papae, et fratres, et alii medii, possunt in isto deficere. Similiter Christus et sui Apostoli converterunt gentem plurimam per detectionem Scripturae in linguâ, quae fuit populo magis nota. Ad hoc enim*

*Spiritus Sanctus dedit iis omnium linguarum notitiam. Quare igitur non debent moderni Christi discipuli de eodem pane fragmenta colligere, et, clarius quo sciverunt, populo detegere, sicut illi? Non enim est fictio nisi infidelis, volentis Spiritui Sancto resistere. In duplici igitur linguâ, cujus Spiritus Sanctus dedit notitiam, est fides Christi populo reseranda. Similiter, cum ex fide, quam docet Apostolus; 2 Cor. V, Oportet omnes Christianos stare ante tribunal Christi, et sibi pro omnibus bonis, quae illi dederat, respondere, necesse est cunctos fideles bona illa et usus illorum cognoscere, ut responsio tunc patescat; cum responsio per Praelatum, vel attornatum* (procuratorem), *tunc non valebit. Sed oportet, quod tunc quilibet in propriâ personâ respondebit. Cum igitur Deus dederit tam clericis, quam laicis, notitiam fidei ad hunc finem, ut clarius doceant, et fideliter operentur per eam: clarum est, quod Deus in die judicii requiret certum computum de usu istorum bonorum, quomodo dabantur fideliter ad usuram.*

Non possum non in gravissimo hoc argumento paulo diutius haerere et commorari. Juvat idcirco alios nonnullos ex scriptis Wicliffi afferre locos, ut perspiciamus, quanti Wicliffus fecerit libros sacros, ac quantopere optaverit, illos in omnium esse manibus. In *Prologo ad Expositionem orationis Dominicae*[1] ait: *Cum Euangelium sit Christi, id-*

[1] MS. Anglice. — Locum autem, ab Henrico Whartono Latine

*que Christus populo praedicari jusserit, ut omnes illud ediscerent, scirent, et juxta ejus praecepta viverent, quare nobis non licet linguâ Anglicanâ conscribere Euangelium aliaque opuscula, Euangelium explicantia, ad Christianorum aedificationem et animae humanae utilitatem? — Quodsi enim conscribendum non esset, eâdem ratione neque praedicandum esset. — Si quis enim artem aliquam, humano generi necessariam, calleat, aliosque, doctrinae suae capaces, docere nolit, illorum ignorantiae causâ est. Similiter dicendum est de Euangelii versione in linguam vernaculam, in vulgi usum et scientiam. Quis Christum minus amat, quis a Deo exsecratur, nisi qui istiusmodi versionem impedit?* Exponens primum orationis Dominicae membrum, dicit[1]: *Christus Apostolos integram istam orationem docuit. Scitote autem, quod nec Latine, nec Gallice, sed linguâ illis vulgari et usitatâ. Istam enim melius norunt. Ecce regulam omnibus Christianis, cujuscunque sunt linguae, positam: nimirum, gratum esse Deo sacrificium, scire orationem Dominicam, Euangelium, aliasque sacrae Scripturae partes, animae saluti necessarias, et juxta illa vitam instituere; sive illis explicentur Latine, sive Anglice, sive Gallice, sive Belgice, sive quâvis aliâ linguâ, quam populus intelligit. Clero itaque laetandum esset, si populus legem divinam sciret, et laboran-*

---

versum, descripsi ex hujus *Auctario Hist. Dogm.* Jacobi Usserii. p. 433. — [1] Apud Henr. Whartonum. ibid. p. 434.

*dum omnibus, quibuscunque possent, mediis, ut populum, sibi commissum, veritatem scire efficerent.* Alibi haec scripsit [1]: *Sub incunabulis sanctae Ecclesiae prohibitum erat, ne quis linguâ peregrinâ loqueretur, nisi auditoribus linguâ vernaculâ oratio ejus manifestaretur. Atque hinc optima consuetudo in nonnullis Ecclesiis inolevit, ut, postquam Euangelium in Ecclesiâ juxta literam praelectum esset, auditoribus linguâ suâ vulgari statim pronunciaretur et explicaretur. Quid nobis itaque, nostris diebus, agendum est, quum pauci, aut nulli, iis, quae legunt, intendant, vel quae lecta audiunt, intelligant? — Christiani homines multam operam sacrae Scripturae, et praesertim quatuor Euangeliorum, in linguâ suâ vernaculâ lectioni diu noctuque impendere debent. — Proh Deus! si quis Dei timor, quâ fronte impediuntur laici illiterati, quominus Euangelium sciant et custodiant, et de eo in mansuetudine et caritate palam loquantur, ad eradicanda vitia et plantandas virtutes in Christianorum animis? Avari autem sacerdotes mundiales contra objiciunt, laicos cito errare posse, adeoque illis de Christianâ fide disputandum non esse. Helas! helas! quaenam ista crudelitas, integram regionem aliquam cibo corporeo privare, eo quod stulti nonnulli illo in gulam, suique et*

---

[1] In Praefatione ad versionem *librorum XII. Clementis Lanthoniensis de concordiâ Euangelistarum.* Locus exstat apud Whartonum, l. l. p. 436 sq., quem ille descripsit ex MS., quod in Bibl. Norfolcianâ invenerat.

*aliorum damnum, abutantur; quamvis alii eundem sobrie sumant! Aeque adversus Scripturan, Latine conscriptam, errare potest superbus mundialis sacerdos, ac simplex laicus adversus Euangelium, Anglice conscriptum. — Sacerdotes autem mundani clamant, sacram Scripturam, Anglice perlectam, dissidium Christianae reipublicae inducere, subditosque ad arma contra principes cienda incitare, adeoque laicis permittendam non esse. Helas! quomodo apertius calumniari possunt Dei auctoritatem, et pacem, et sanctam ejus legem, docentem mansuetudinem, patientiam et caritatem? — Jesu Christe! qui ad confirmandam legem tuam et redimendas Christianorum animas mortem obiisti, Antichristi et mundialium sacerdotum blasphemias repelle; desque, ut sanctum tuum Euangelium a simplicibus tuis fratribus sciatur et observetur; illosque adaugeas in fide, spe et caritate, in mansuetudine et patientiā, ut pro te ac tuā lege mortem laeti patiantur!*

Neque irritae fuerunt admonitiones illae: permulti ex laicis grato animo acceperunt illud donum pretiosissimum. Wicliffi socii et discipuli, ipsi naviter inquirere in scripta sacra soliti, populum exhortabantur, ut lectitaret illos libros, atque omnem ex iis solis hauriret fidem. Fuerunt autem inter principes regni viros haud pauci, qui comprobarent valde illud Wicliffi opus, quo immortaliter de religione meritus est. Quod patuit, ubi Parliamento anno 1390 exhibitus erat

libellus de tollendis Bibliis Anglice versis: tunc nobiles et Domus inferioris congregatio libellum huncce prorsus rejecerunt, dixitque Johannes, Dux Lancastriae: »*Nolumus faex esse omnium hominum; quandoquidem aliae nationes legem Dei, quae nostrae fidei lex est, suâ linguâ exaratam habent;*" quae verba, interposito jurejurando, asseruisse adversus eos fertur, qui libellum tradiderant [1]. Atque de Angliae reginâ, Richardi II conjuge, Annâ, filiâ Imperatoris Germaniae Caroli IV et Wenceslai Bohemiae regis sorore, memoriae proditum est, consuevisse eam legere quatuor Euangelia, in Anglicam linguam translata: inque ejus honorem ipse Wicliffus testabatur [2], usam quoque eam fuisse Euangelio, in linguam Bohemicam, Teutonicam et Latinam verso. Ex Wicliffo etiam comperimus, multos hoc tempore nobiles Anglos magni fecisse Euangelium, atque legisse illud Anglice versum [3]. Episcopi vero deinceps, versionem Codicis sacri, vel partis ejus, in Anglicam vel aliam linguam componere diserte vetuerunt, omnibusque modis cohibere laicos a studio legendi scripta sacra conati sunt [4].

---

1 Cf. Jac. Usserii *Hist. Dogm.* etc. p. 162.

2 In libello *de triplici vinculo Amoris.* Vid. Jac. Usserius, op. laud. p. 161 sq.

3 Id professus est Wicliffus in oratione quâdam sacrâ. vid. Vaughan. Vol. II. p. 131.

4 Vid. *Constitutiones Thom. Arundelii, Archiep. Cant., contra haereticos*, factae in convocatione Praelatorum et Cleri

Sic autem Wicliffus diurnâ nocturnâque manu libros sacros versans, et ad horum effata explorans Ecclesiae dogmata, in dies magis perspexit errores, qui temporis decursu in doctrinam Christianam irrepserant. Hanc igitur quum pro viribus exsolvere studeret errore inventisque hominum ac reducere ad pristinam puritatem et veritatem, in gravissimam incidit controversiam cum multis doctoribus et clericis de *sacramento Eucharistiae*. Jam antea abhorruisse videtur ab impiâ Ecclesiae doctrinâ de sacrâ coenâ: nam, testante Vaughano, in homiliis parochialibus frequenter huic doctrinae contradixit. Aestate vero anni 1381 primum in Universitate Oxoniensi publice Transsubstantiationis dogma aggressus est, sumtis, quibus id impugnaret, ex Euangelio argumentis. Promulgabat nempe *duodecim theses*, de quibus disputaturum se palam offerebat. Erant hae:

I. *Hostia consecrata, quam videmus in altari, nec est Christus, nec aliqua sui pars, sed efficax ejus signum.*

---

Cantuariensis provinciae, Londini anno 1408. In constitutione VII legitur, » Statuimus et ordinamus, ut nemo deinceps aliquem textum sacrae Scripturae auctoritate suâ in linguam Anglicanam, vel aliam, transferat, per viam libri, libelli, aut tractatus; nec legatur aliquis hujusmodi liber, libellus, aut tractatus jam noviter tempore dicti Johannis Wycliff, sive citra compositus, aut in posterum componendus, in parte vel in toto, publice vel occulte, sub majoris excommunicationis poenâ, quousque per loci dioecesanum, seu, si res exegerit, per concilium provinciale, ipse translatio fuerit approbata: qui contra fecerit, ut fautor haeresis et erroris similiter puniatur.'' Wilkins, *Concilia magnae Brit. et Hib.* Vol. III. p. 317.

II. *Nullus viator sufficit, oculo corporali, sed fide, Christum videre in hostiâ consecratâ.*

III. *Olim fuit fides Ecclesiae Romanae in professione Berengarii, quod panis et vinum, quae remanent post benedictionem, sunt hostia consecrata.*

IV. *Eucharistia habet, virtute verborum sacramentalium, tam corpus, quam sanguinem Christi, vere et realiter ad quemlibet ejus punctum.*

V. *Transubstantiatio, idemptificatio, et impanatio, quibus utuntur baptistae* (Papistae), *signorum in materiâ de Eucharistiâ, non sunt fundabiles in Scripturâ.*

VI. *Repugnat Sanctorum sententiis, asserere, quod sit accidens sine subjecto in hostiâ veritatis.*

VII. *Sacramentum Eucharistiae est in naturâ suâ panis aut vinum, habens, virtute verborum sacramentalium, verum corpus et sanguinem Christi ad quemlibet ejus punctum.*

VIII. *Sacramentum Eucharistiae est in figurâ corpus Christi et sanguis, in quae transubstantiatur panis aut vinum, cujus remanet post consecrationem aliquitas, licet, quoad considerationem fidelium, sit sopita.*

IX. *Quod accidens sit sine subjecto, non est fundabile; sed, si sic, Deus adnihilatur, et perit quilibet articulus fidei Christianae.*

X. *Quaecunque persona, vel secta, est nimis haeretica, quae pertinaciter defenderit, quod sacramentum altaris est panis per se existens in naturâ infinitum abjectior et imperfectior pane equino.*

XI. *Quicunque pertinaciter defendet, quod dictum sacramentum sit accidens, qualitas, quantitas, aut earum aggregatio, incidit in haeresim supra dictam.*

XII. *Panis triticeus, in quo solum licet conficere, est in naturâ infinitum perfectior pane fabino vel ratonis, quorum uterque in naturâ est perfectior accidente*[1].

Sunt quidem hae theses subobscurae: ad unum tamen argumentum referri possunt. Solebant autem doctores Scholastici thema, de quo erant disputaturi, in plures dissecare particulas, quae subinde paulum tantum inter se differebant; et quo in plura segmenta distribuere quis poterat disputationis materiam, eo habebatur solertior. Argumentum igitur, de quo Wicliffus disputare sibi proponebat, erat *de sacramento Eucharistiae:* et particulae, in quas illud divisit, in unum redactae, huc, ni fallor, redeunt: *Panis et vinum in Eucharistiae sacramento per sacerdotis consecrationem non mutantur in corpus et sanguinem Christi, sed post benedictionem signa sunt horum efficacia, ita ut, qui, fidem sinceram adhibens, haec symbola sumit, non amplius cogitet panem et vinum, sed fidei oculo adspiciat in hostiâ consecratâ ipsum Christum. Hoc igitur sensu, corpus et sanguinem Christi inesse vere et realiter in*

---

1 Has theses edidit Vaughanus ex MS. in Bibl. Bodl. vid. Vol. II. App. N⁰. II.

*Eucharistiae sacramento, dicere possumus. Caeterum, quae Ecclesia hodie inscite nugatur de accidente sine subjecto, de transsubstantiatione, identificatione, impanatione, haec nullo gaudent praesidio, vel in sensu communi, vel in Codice sacro.*

Opposita quam maxime haec placita erant doctrinae Ecclesiae et fratrum Mendicantium de Eucharistiâ sententiis, quas impugnare imprimis studuit Wicliffus, ut homines, animis ab errore liberatis, meliora edoceret de simplicis illius Christianorum ritus indole. Quapropter, ad melius intelligenda et dijudicanda Wicliffi de sacramento Eucharistiae placita, recordemur illam Ecclesiae Pontificiae doctrinam, a fratribus Mendicantibus valde exornatam, et videamus simul, quid in Angliâ ante Wicliffum doctores et clerici de Eucharistiâ senserint.

Christi corpus vere adesse in sacramento Eucharistiae, fides non fuit Ecclesiae Anglo-Saxonicae; certis vero testimoniis satis probari potest, gentis Anglicae majores persuasum sibi habuisse illis temporibus, panem et vinum in sacrâ coenâ esse *signa, symbola*, corporis et sanguinis Jesu Christi. Hoc patet ex scriptis Bedae illius Venerabilis et Flacci Albini sive Alcuini, qui saeculo VIII floruerunt. Hoc patet ex scriptis Rabani Mauri, Archiepiscopi Moguntiaci et Alcuini quondam auditoris, Druthmari, monachi Corbejensis, Haymonis, Episcopi Halberstadiensis, aliorumque, qui ex Bedae et Alcuini theologiâ hauserunt. Dum autem hi viri praestantissimi, quos saeculum IX tulit,

doctrinam de Eucharistiâ interpretari aequalibus suis studebant secundum Christi et Apostolorum mentem, Christianos inducere nitebatur Paschasius Radbertus, monachus et ab anno 844 Abbas Corbejensis, ut crederent, in hoc sacramento, post panis et vini consecrationem, nihil istorum remanere nisi externam formam, sed inibi Christum *corporaliter* vere praesentem esse. Ex adversariis hujus sententiae Johannes Scotus Erigena [1], Angliae lumen et regis Alfredi amicus, sane haud fuit contemnendus. Hic enim monstrum illud Transsubstantiationis, per magnam Europae continentis partem proserpens, ab insulâ Britanniae propulit fortiter. Neque deinde dogma istud amplexatam unquam fuisse Ecclesiam Anglo-Saxonicam, clare probant Aelfrici scripta, monachi literatissimi, qui saeculo XI vixit († 1051) [2].

---

[1] Nomen inclyti hujus theologi et philosophi († post 877) fuit *Johannes:* quum autem vulgo addatur *Scotus Erigena*, valde probabile est, natum eum fuisse in Hiberniâ e stirpe Scoticâ, quae diu illic est morata. Vocabatur igitur *John the Irish-born Scot.* cf. H. Soames, *The Anglo-Saxon Church.* Lond. 1835. p. 155 sqq.

[2] Abbas fuit et Episcopus. Ex scriptis ejus, quae etiamnunc supersunt, laudantur complures homiliae, linguâ Anglo-Saxonicâ conscriptae, imprimis homilia Paschalis, et binae insuper epistolae, altera Episc. Shirburniensi Wulfsinio data, Archiep. Eboracensi Wolstano altera, ex quibus effici potest, Aelfricum placita Ratramni de Eucharistiâ potissimum esse professum. Vid. de Aelfrico, H. Soames, op. laud. pag. 218 — 236., qui de homiliâ quâdam Aelfrici mentionem faciens, ait: *This ancient homily, therefore, teaches the same doctrine as the catechism of the reformed Church of England. In this we learn that » the body and blood of Christ are verily and indeed taken and received by the*

Postquam vero, regnante Guilielmo Debellatore, Lanfrancus, monachus Becensis, factus erat Archiepiscopus Cantuariensis (1070), allata haec doctrina et in Ecclesiam Anglicanam primum inducta est, quanquam non omnibus statim de eâ persuadebatur ac multi etiam animo fluctuabant. Lanfrancus imprimis Paschasii de Eucharistiâ doctrinam strenue propugnavit contra Berengarium, Scholasticum Turonensem, qui, quum mentis sanitate aequalibus praestaret, renovavit litem circa istam doctrinam, consentiens cum Johannis Scoti Erigenae sententiâ. Hac tamen controversiâ nondum efficiebatur, ut Ecclesia litem dirimeret firmamque pronuntiaret sententiam: nam Petri Lombardi aetate (saeculo XII) vehementer etiam certarunt Ecclesiae doctores, qualis esset illa mutatio panis et vini in corpus et sanguinem Christi, utrum *formalis*, an *substantialis*, an vero *alterius generis*. Tandem Ecclesia approbavit ea de Eucharistiâ placita, quae opposita erant Berengarii sententiae. In concilio nempe Lateranensi quarto, anno 1215 habito [1], ratam fecit Innocentius III doctrinam *Transsubstantiationis*, publice simul vocabulum illud barbarum primum profe-

---

*faithful in the Lord's Supper.*" p. 242. not. I. Cf. de nostro argumento imprimis ejusdem viri doctissimi opus: *An inquiry into the doctrines of the Anglo-Saxon Church, in eight Sermons, preached before the Univ. of Oxford, in the year 1830, at the Bampton Lecture.* Oxon. 1830. Sermo VII. de Transsubstantiatione.

[1] Huic concilio intererant 412 Episcopi, 800 Abbates et Priores, atque complures Legati, quos eo miserant principes et reges. vid. Mosheim. op. laud. Vol. V. p. 165. not. o.

rens et usurpandum Clero tradens [1]. Interea vero monachi Mendicantes deliranti Ecclesiae subvenerunt, atque in tollendis difficultatibus, quibus doctrina ista erat implicita, satis sudarunt. Hominum captum excedebat, mutatâ rei naturâ, nihilominus ea remanere, quae ad illam pertinent, panem et vinum mutari in carnem et sanguinem, neque tamen sensus, visum et gustum, hujus rei aliquid percipere. Jam monachi illi, sensuum judicio nos falli posse dicentes, rem ὑπερφυῶς explicare studebant. Id verum esse pronuntiabant, *accidens sine substantiâ esse posse*, id est, fieri posse, ut, sublatâ rei naturâ (substantiâ), proprietates (accidentia) ejus, sub sensus cadentes, maneant: in quâvis ergo celebratione sacramenti altaris substantiam panis per prodigiosam sacerdotis consecrationem mutari in substantiam corporis Christi, manentibus proprietatibus panis. Populus autem, meditationi relinquere negotia non solitus, parumque pensi habens, an sensui communi hoc adversaretur, potius stupefactus illâ mysterii Transsubstantiationis explanatione, pie plerumque fidem habuit praestigiatoribus Pontificiis.

Prouti veram et simplicem interpretationem verborum, quibus Christus in hoc instituendo ritu usus est, sensim missam fecerant homines, inque illis mystici

---

1 Vocabulum illud, substantiae immutationem significans, primum occurrit apud Hildebertum de Lavardino, Archiep. Turonensem, († 1134), et verbo *transsubstantiare* primum usus esse dicitur Stephanus, Episc. Augustoduni (1113-1129). cf. Gieseler. Vol. II. P. II. p. 431. not. e.

quid videre coeperant, sic quoque paulatim invaluerat, diu ante Wicliffi aetatem, in Ecclesiâ opinio, Eucharistiam esse sacrificium incruentum, quo cruentum illud, semel in cruce immolatum, instauraretur atque animo repraesentaretur. Hoc sacrificium, per sacerdotem Deo oblatum, non laudis tantum et gratiarum actio esse credebatur, verum etiam *ἱλαστήριον*, vim habens expiandi peccata et reconciliandi homines cum Deo, tam viventes, quam mortuos. Ingravescente superstitione, magis magisque hoc sacramentum *tremendi*, quod dicebatur, *mysterii* formam induit. Sic saeculo XIII in pane consecrato Dei Filium adorare inque publicis supplicationibus circumferre coeperunt: tunc consuetudo in Ecclesiâ invaluit, omnem populum ad hostiae elevationem veniam petere, et usque ad calicis benedictionem prostratum jacere. Eodem quoque aevo laicis, ad Eucharistiam celebrandam (communionem sanctam vulgo dicunt) convenientibus, calicis usus denegari coepit. Jam sacerdos, solus eum hauriens, »pro vobis omnibus!'' populo acclamabat. Contendebant enim plurimi, in utrâque specie totum Christum sumi per *concomitantiam*, quam vocant. Hanc autem opinionem, jam saeculo XII medio, in Angliâ defenderat Robertus Pulleinus [1]. Denique illa Transsubstantiationis doctrina Ecclesiae tantopere placuit, ut in ejus honorem, anno 1311, Papa Clemens V annua solennia, quae *festum corporis Christi* dicebantur, con-

---

[1] In ejus *Sentent.* P. VIII. cap. 3. Cf. Baumgarten-Crusius, *Christl. Dogmengesch.* Vol. II. p. 1246.

stitueret; et Missarum celebrationes adeo adaugebantur, ut cultus publicus iis unice fere peragi videretur.

Illa igitur doctrina de sacramento Eucharistiae ad majorem dignitatem evehere officium sacerdotale videbatur. Superstitiosa enim et imperita multitudo sacerdotes sanctiores potentioresque habebat, quum hi, sacrificium incruentum ad altare immolantes, Christi personam gerere dicerentur. Et, qui panem, seu placentulam, per consecrationis verba mutare poterat in corpus Christi, quantâ is quidem potentiâ necessario praeditus erat! Propterea etiam in Universitate Oxoniensi imprimis fratres Mendicantes silentium imponere Wicliffo cupiebant, quandoquidem hujus placita de sacramento altaris frangerent admodum ipsorum dignitatem. Wicliffus vero sententiam suam aperire in lectionibus publicis assidue pergebat, »*in animo se destinasse profitens, Ecclesiam Dei, quae in eà re pluribus jam annis erraverat, ab idololatriâ ad verum Numinis cultum revocare*" [1]. Sed Universitatis Cancellarius, Guilielmus Bertonus, convocabat interim duodecim doctores, quorum octo erant monachi, ut deliberarent de thesibus, a Wicliffo ad disputandum propositis. Uno hi animo declarabant, theses istas esse falsas, quia adversabantur doctrinae Ecclesiae. Itaque Cancellarius tulit decretum, in quo nominatim quidem de Wicliffo mentionem non fecit,

---

[1] Vid. Wood, Lib. I. p. 188.

sed universe haec dixit: »Ad nostrum non sine grandi displicentiâ pervenit auditum, quod — nonnulli — quasdam haereses, olim ab Ecclesiâ solenniter condemnatas, his diebus, proh dolor! innovant, et tam in istâ Universitate, quam extra, publice dogmatizant, duo inter alia documenta pestifera asserentes; primo, in sacramento altaris substantiam panis materialis et vini, quae prius fuerunt ante consecrationem, post consecrationem realiter remanere: secundo, quod execrabilius est auditu, in illo venerabili sacramento non esse corpus Christi et sanguinem essentialiter, nec substantialiter, nec etiam corporaliter, sed figurative, seu tropice, sic, quod Christus non est ibi veraciter in suâ propriâ praesentiâ corporali. Ex quibus documentis fides catholica periclitatur, devotio populi minoratur, et haec Universitas, mater nostra, non mediocriter defamatur." Breviter expositâ Ecclesiae de Eucharistia doctrinâ, sic pergit: »Hoc credendum, hoc docendum, hoc contra omnes contradicentes viriliter defendendum. Hortamur igitur in Domino, et auctoritate nostrâ monemus, — ne quis de caetero, cujuscunque gradus, status, aut conditionis existat, praemissas duas assertiones erroneas, aut earum alteram, in scholis aut extra scholas in hac Universitate publice teneat, doceat, seu defendat, sub poenâ incarcerationis et suspensionis ab omni actu scholastico, ac etiam sub poenâ excommunicationis majoris, etc." Insuper Cancellarius monet: »ne quis — aliquem publice docentem, tenentem, seu defendentem praemissas duas assertiones — quovis

modo audiat vel auscultet"[1]. Hoc decretum, quod doctores illi, qui a Cancellario erant convocati, subsignaverant, promulgabatur Oxonii. Quum autem minister quidam id recitatum veniebat in scholam monachorum Augustinensium, Wicliffus ibi, in cathedrâ sedens, de hoc ipso dogmate disserebat. Audito decreto, fertur animo confusus paulisper conticuisse: mox vero animi firmitate recreatâ, exclamabat iratus: »*Nec Cancellarius, neque aliquis ex ejus gregalibus, potest meam infringere sententiam*"[2]. Prohibitum tamen sic fuit, quominus Wicliffus publicam, quam annuntiaverat, disputationem haberet. Quievit igitur in praesentiarum, et dixit tantum, ad regis patrocinium perfugere sibi esse propositum. Quot autem jam tunc plausu exceperint ejus de Eucharistiae sacramento doctrinam, colligere licet ex verbis Thomae Walsinghami, dummodo reputes, bonum virum, bile commotâ, haec scripsisse. Referens ea, quae anno 1381 in Angliâ acciderunt, scribit: »*Vetus hypocrita, Angelus Sathanae, Antichristi praeambulus, non nominandus Joannes Wycklif, vel potius Wickebeleve*[3], *haereticus, sua deliramenta continuans, visus est absorbere Jordanem, et omnes Christianos mergere in abyssum, reassumens quidem damnatas opiniones Berengarii: — talia delirando multos seduxit in eundem errorem*"[4].

[1] Vid. Wilkins, *Concilia magn. Brit. et Hib.* Vol. III. p. 170.
[2] Wood, Lib. I. p. 189. — [3] Significare videtur hoc nomen *aliquem, qui male credit, wicked believe:* allusio satis ridicula.
[4] *Hist. Angl.* p. 246. Narravit ibi quoque magnâ cum indignatione, Equitem, Laurentium de Sancto Martino dictum, Wi-

Wicliffus autem, ut placita sua nihilominus divulgaret de sacrâ coenâ, ad scribendum nunc se contulit, atque in lucem emisit opusculum, Anglice, cui titulus: *The Wicket* (Ostiolum)[1], quo interpretatus est

cliffi placita amplexum, aliquando, postquam ex manu sacerdotis acceperat corpus Dominicum, domum properasse et panem cum ostreis, caepis et vino comedisse, affirmantem „*quemlibet panem apud domum suam tanti esse valoris, quanti fuit ille, quem sumpsisse tali modo gaudebat.*" Knyghtonus de alio Equite, Cornelio Cloune, retulit, qui, quum sacerdos hostiam frangebat, vidit in hujus manibus veram carnem, crudam et sanguinolentam. p. 2651. Haec fabella eximia est ἀντίστροφη illius narratiunculae.

[1] Plus semel hoc opusculum typis mandatum est. Prima editio prodiit anno 1546. 8°. Norembergae, titulo: *Wicklyffes Wycket, whyche he made in King Richard's days the seconde, in the yere of our Lorde God 1395.* Erratum inest in indicando anno, quo libellus compositus est. Editio altera 16° prodiit sine temporis, loci, vel typographi indicio. Tertia facta est anno 1612. 8°. Oxonii, curâ doctissimi Henrici Jackson, socii C. C. C. Oxon. — Rarae sunt hae editiones: inveniuntur tamen in Bibl. Bodl., Lambeth., et in Museo Brit. cf. Lewis, p. 162. et Vaughan. Vol. II. p. 383. — Nuper rursus editum est in Op. saepius a nobis laud: *Writings of John Wickliff — printed for the Rel. Tract Soc. Lond.* p. 153. In multorum manibus hicce libellus fuit, et magnam imprimis habuit vim ad persuadendum hominibus de perversitate Transsubstantiationis doctrinae. — Quare *Ostiolum* inscriptus sit, intelligimus ex libelli initio: *Forasmuch*, scribit Wicliffus, *as our Saviour Jesus Christ —— warned us, and gave us knowledge, that there were two manner of ways —— the one to life, the other to death, Matt. 7. Luke 13.; therefore pray we heartily to God, that he, of his mere mercy, will so strengthen us with the grace and stedfastness of his Holy Spirit, to make us strong in spiritual living, after the Evangelical Gospel — so that the world — no not the very infidels, papists, and apostates — can gather occasion to speak evil of us, but that we may enter into that strait gate, as Christ our Saviour and all, that follow him, have done.*

verba illa Jesu Christi, *Hoc est corpus meum*, exponens simul sententias Ecclesiae de Eucharistiâ absurdas et inter se repugnantes. Rogat istos, qui valde impie ajebant, se posse formare corpus Domini Jesu Christi, num homini liceat suâ vice creare eum, qui ipsum creavit? »Tu igitur, inquit, qui es terrestris animans, audesne perhibere, te creare tuum Creatorem?" Tum ponit illud dilemma: »Corpus, quod se formare dicunt sacerdotes ad altare, aut corpus Christi est, quo indutus fuit ante resurrectionem, aut illud, quo postea fuit praeditus. Hoc autem corpus, quo indutus adscendit ad Patrem coelestem, oportet in coelis manere, secundum scripta sacra, usque ad tempus, quo omnia restaurabuntur: illud vero terrenum fuit et fragile, morti obnoxium, de quâ Euangelistae quoque testimonia dederunt. Quocirca quum corpus, quod sacerdotes se formare dicunt, neutrum horum esse possit, aperte falsa est istorum assertio." Considerans porro verba Jesu: *Hoc est corpus meum*, immerito haec de consecrandi quodam actu intelligi dicit, quum ea pronuntiaret Christus, distribuens discipulis panem fractum. »Investigate, inquit, studiose, num possitis duo invenire vocabula benedictionis vel gratiarum actionis, quibus usus Christus ex pane et vino suum formaverit corpus et sanguinem. Ubi enim inveneritis ejusmodi vocabula, tum vos longe eritis Christo superiores, vobisque licebit distribuere ejus corpus, et Ille vos, tanquam ipsius patres et creatores, venerabitur, sicut scriptum est: verere patrem tuum tuamque matrem." Ut autem Transsubstantia-

tionis dogmatis vindices tollerent difficultatem, in quam haec doctrina incurrebat, quod in quovis panis sacramentalis frusto Christus totus contineretur, rem exemplo illustrare solebant, dicentes, prouti in singulis speculi fracti particulis refulget integra facies intuentis, sic etiam rem de pane fracto sacramentali esse comparatam. Acute in suo libello hac de re animadvertit Wicliffus, non esse ipsam faciem, sed hujus imaginem, quam in speculi diffracti particulis contemplamur, et eâdem ratione panem sacramentalem non esse ipsum Christi corpus, sed hujus *signum*, vel *symbolum*[1]: idcirco hoc exemplum, ad illustrandam ipsorum doctrinam a Papistis excogitatam, egregie favere suae ipsius sententiae autumabat.

Interea vero magnae imminebant aerumnae et calamitates, cum ipsi Wicliffo, tum omnibus, qui placita ejus defendebant et per populum propagabant. Archiepiscopo enim Simoni Sudburio, ineunte hujus anni (1381) aestate a plebe tumultuatâ trucidato, successerat autumno Guilielmus Courtnaeus, Episcopus Londinensis, quem jam cognovimus tanquam virum summo Pontifici obedientissimum et Hierarchiae vindicem[2].

---

[1] *Therefore*, ait, *all the sacraments, that are left here in earth, are but minds of the body of Christ, for a sacrament is no more to say but a sign or mind of a thing passed, or a thing to come; for when Jesus spake of the bread, and said to his disciples, Luke 22: As ye do this thing, do it in mind of me, it was set for a mind of good things passed of Christ body.*

[2] Vid. supra, pag. 118 sqq.

Sed antequam hic a Papâ pallium accepisset, scrupulus in exercendâ jurisdictione ei fuisse videtur. Illud autem accepit initio m. Maji, anno 1382[1]. Jam, Primatis Ecclesiae Anglicanae et Legati sedis Apostolicae insignibus ornatus, severe incepta contra haereticos persecutus est. Certiorem se factum esse dicebat, »quod, tam inter magnates, quam inter populares regni Angliae, fuisset fama divulgata, nonnullas conclusiones haereticas et erroneas, ac determinationibus Ecclesiae repugnantes, quae statum totius Ecclesiae et Cantuariensis provinciae, et tranquillitatem regni nituntur subvertere, in diversis locis dictae provinciae generaliter et communiter ac publice praedicatas"[2]; et convocabat propterea quosdam ex collegis suffraganeis, multosque theologiae, juris civilis et canonici doctores ac baccalaureos, qui magnam partem ad ordines fratrum Mendicantium pertinebant. Hi omnes conveniebant die 17 Maji (1382) in conclave quoddam aedium Praedicatorum Londini. Postquam Archiepiscopus, praelectâ serie viginti quatuor thesium, sententiam eorum rogaverat, se de illis esse deliberaturos pollicebantur. Die autem 21 ejusdem mensis iterum congregati, vixdum rem aggressi erant, quum terribilis terrae motus totam pervasit Angliam. Praelati et doctores, perterrefacti et sinistro omine se incipere opinantes, desistendum esse a negotio censebant. Archiepiscopus vero, reliquis audacior, longe in diversum interpretabatur, quod

---

1 Wilkins, *Concilia*, Vol. III. p. 154.
2 Wilkins, *Conc.* Vol. III. p. 157.

modo acciderat, afflictosque animos fortiter confirmans, ut coeptum repeterent, suadebat[1]. Sic recreatis visum iis est declarare, ex XXIV thesibus alias esse haereticas, alias erroneas. Theses, quae *haereticae et Ecclesiae determinationi repugnare* dicebantur, *decem* erant numero:

I. *Substantia panis materialis et vini manet post consecrationem in sacramento altaris.*

II. *Accidentia non manent sine subjecto post consecrationem in eodem sacramento.*

III. *Christus non est in sacramento altaris idemptice, vere, et realiter in propriâ praesentiâ corporali.*

IV. *Si Episcopus vel sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, consecrat, nec baptizat.*

---

1 Vid. Foxus, op. laud. p. 13. Archiepiscopus dixisse fertur: » *That the earthquake did indeed portend a purging the kingdom from heresies: for, as there are included in the bowels of the earth air and noxious spirits, and they are expelled in an earthquake, and so the earth is cleansed, but not without great violence: so there were many heresies shut up in the hearts of reprobate men, but by the condemnation of them the kingdom has been cleared, but not without irksomness and great commotion.*" Apud Lewisium. p. 89. Illud die 17 Maji locum habuisse, idcirco in sessione primâ, existimant Lewisius, Vaughanus, Le Bas, et Lingardus. Sed, quandoquidem Knyghtonus, p. 2644. et Walsinghamus, p. 289. memoriae prodiderunt, terrae motum pervasisse Angliam die XII Cal. Junii, et hic dies congruit cum tempore, quo altera habita sessio est, nempe 21 Maji, hujus sessionis die id accidisse reor. Lewisius dixit in notâ pag 332: » *The Godstow Chronicle tells us, that this earthquake was on the Wednesday before Whitsunday or May 30, about one a clock in the afternoon.*" Foxus ait, locum id habuisse *ipso Dunstani die*: Dunstani autem festum, ni fallor, celebrabatur die XIV Cal. Junii.

V. *Si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua vel inutilis.*

VI. *Non est fundatum in Euangelio, quod Christus Missam ordinaverit.*

VII. *Deus debet obedire Diabolo.*

VIII. *Si Papa sit praestitus*[1] *et malus homo, ac per consequens membrum Diaboli, non habet potestatem supra fideles Christi ab aliquo sibi datam, nisi forte a Caesare.*

IX. *Post Urbanum sextum non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum est, more Graecorum, sub legibus propriis.*

X. *Est contra sacram Scripturam, quod viri Ecclesiastici habeant possessiones temporales.*

Theses, quae dicebantur *erroneae* itemque *determinationi Ecclesiae repugnare*, *quatuordecim* erant:

I. *Nullus Praelatus debet aliquem excommunicare, nisi prius ipsum sciat esse excommunicatum a Deo.*

II. *Sic excommunicans, ex hoc est haereticus, vel excommunicatus.*

III. *Praelatus excommunicans clericum, qui appellavit ad regem et concilium regni, eo ipso traditor Dei est, regis, et regni.*

IV. *Illi, qui dimittunt* (desinunt) *praedicare, seu audire verbum Dei vel Euangelium praedicatum,*

---

1 Fortasse legendum: *perditus et malus homo*, vel *praescitus malus homo*, id est, in Dei praescientiâ reprobatus. Cf. Wilkins, *Conc.* Vol. III. p. 157.

*propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, et in die judicii traditores Dei habebuntur.*

V. *Licet alicui etiam diacono vel presbytero praedicare verbum Dei, absque auctoritate sedis Apostolicae vel Episcopi catholici, seu aliâ, de quâ sufficienter constet.*

VI. *Nullus est dominus civilis, nullus est Episcopus, nullus est Praelatus, dum est in peccato mortali.*

VII. *Domini temporales possunt, ad arbitrium eorum, auferre bona temporalia ab Ecclesiasticis habitualiter delinquentibus; et populares possunt, ad eorum arbitrium dominos delinquentes corrigere.*

VIII. *Decimae sunt purae eleemosynae, et parochiani possunt, propter peccata suorum Curatorum, eas detinere, et ad libitum aliis conferre.*

IX. *Speciales orationes, applicatae uni personae per Praelatos vel religiosos, non plus possunt eidem personae, quam orationes generales, caeteris paribus, eidem.*

X. *Eo ipso, quod aliquis ingreditur religionem privatam quamcunque, redditur ineptior et inhabilior ad observantiam mandatorum Dei.*

XI. *Sancti, instituentes religiones privatas quascunque, tam possessionatorum, quam Mendicantium, in sic instituendo peccaverunt.*

XII. *Religiosi, viventes in religionibus privatis, non sunt de religione Christianâ.* [*Error perniciosus*].

XIII. *Fratres tenentur per laborem manuum, et*

*non per mendicationem, victum suum adquirere.* [*Damnatus error ab Alexandro IV*].

XIV. *Conferens eleemosynam fratribus vel fratri praedicanti, est excommunicatus, et recipiens* [1].

Etiamsi in hisce compluria Wicliffi placita agnoscimus, cavendum tamen nobis est, ne omnes illas attribuamus ei sententias: nam ipse conquestus est, quod injuriose accusabatur, uti et ipsius socii, ejusmodi sententiarum, quales erant, *Deum debere obedire Diabolo*, et *plebem posse, ad suum arbitrium, corrigere dominos delinquentes* [2]. Hoc modo, dicebat, homines infensi detrahere cupiebant de ipsius et sociorum nomine. Fama igitur, ut fieri solet, tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri, viresque adquirens eundo, quum ad Archiepiscopum pervenerat, pariter facta atque infecta canebat.

Damnatis autem illis XXIV sententiis, Courtnaeus literas misit, die 30 Maji, Roberto, Episcopo Londinensi, scribens: »Quia permulti in provinciâ Cantuariensi sibi vindicabant concionandi facultatem, absque

---

1 Vid. Wilkins, *Conc.* Vol. III. pag. 157. — Walsingham, *Hist. Angl.* p. 285 sq. Knyghton p. 2648 sq. — Damnationem harum sententiarum subsignarunt Archiepiscopus, 7 Episcopi, 14 juris utriusque doctores, 17 doctores theologiae, quorum 15 fratres Mendicantes, et 6 theologiae baccalaurei, item fratres.

2 Vid. Lewis, p. 96. — Baumgarten-Crusius thesin illam, quod Deus obedire debet Diabolo, proprie significare dicit: »*In dem Reiche des Satans, in der Röm. Kirche, liege das Göttliche unter dem Dämonischen.*" *Christl. Dogmengesch.* Vol. I. p. 517. not.

auctoritate sedis Apostolicae vel Episcopi dioecesani, et quidem orationes illi habebant ad populum, cum in Ecclesiis, tum in plateis aliisque publicis locis, de argumentis fidei Ecclesiae contrariis, se propterea mandare ei caeterisque Episcopis suffraganeis, ut in suâ singuli dioecesi *inquisitores* essent *prävitatis haereticae*, atque monerent secundum usum Ecclesiae forensem, ne quis haereses recens damnatas ulterius foveret, defenderet, vel aliis traderet, utque omnibus, qui absque Ecclesiae auctoritate conciones haberent, silentium imponerent." Simul eosdem jubebat *ex abundanti fulminare* contra non obtemperantes, atque his poenam excommunicationis majoris minitari[1].

Ut autem Praelati magis solenniter in expeditionem istam contra haereticos educerentur, cives Londinenses, clerici et laici, hebdomade festi Pentecostes, per urbem nudis pedibus in supplicationem processerunt. Quum longus solenni pompâ procedentium ordo ad Aedèm cathedralem divi Pauli pervenerat, pulpitum adscendit orationemque ad populum habuit frater ex ordine Carmelitarum, Johannes Kenynghamus, doctor Oxoniensis, recitans simul Archiepiscopi mandatum[2].

---

1 Vid. Wilkins, *Conc.* Vol. III. p. 158 sq.

2 Knyghtonus p. 2651. — Joh. Kenynghamus, cujus eruditio vitaeque temperantia laudantur, Prior provincialis ordinis Carmelitarum fuit, et Wicliffo valde adversatus est. Disputabat contra eum de argumentis, tum philosophicis, tum theologicis. » *Modeste tamen egit*, inquit Thom. Waldensis, *admiratus in eo doctrinae excellentiam; nec limites egrediebatur. Cum eo vicissim super Scripturis et veteris Ecclesiae doctoribus conferebat Wiclevus, ejus in dicendo animadvertens candorem, atque, ut rectius tandem saperet, in-*

Episcopus Londinensis Courtnaeo obsecutus est, misso exemplo ejusdem mandati, die 5 Junii, ad Johannem, Episcopum Lincolniensem, Wicliffi dioecesanum. Hic tamen proximo demum mense literas perscripsit ad omnes Abbates, Priores, Ecclesiarum decanos, rectores et vicarios, capellanos parochiales, atque officialem sive commissarium Archidiaconi Licestriensis, ut quam primum Courtnaei mandatum exsequendum curarent [1]. Quum parochia Luterovortana pertineret ad decanatum Guthlaxtoni in Archidiaconatu Licestriensi, verosimiliter Wicliffo quoque, quippe Ecclesiae hujus rectori, mandatum illud transmissum est. In Universitate vero Oxoniensi edictum contra haereticos promulgare, commissum fuit Petro Stokesio, Carmelitae et theologiae doctori [2]. Illic praesertim doctrina Wicliffiana propagata erat, ita ut maximam partem saeculares, et doctores, et clerici, assidue essent occupati in defendendâ illâ aliisque tradendâ, tum disputationibus publicis, tum variis scriptis. Alumni quoque Oxonienses, quotquot monachorum artibus et illecebris

---

*stantius Dominum precabatur.*" Interfuit quoque Kenynghamus concilio illi, die 17 et 21 Maji habito. De scriptis, quae contra Wicliffum edidit, vid. Baleus. Cent. 6. p. 457 sq. — Cf. Wood. Lib. I. p. 188. — Wicliffus etiam contra eum scripsisse dicitur, *Determinationes Eucharistiae*. vid. Baber, p. XLIII.

1 Exstant *Literae Episc. Linc.* apud Knyghtonum. p. 2651 sqq.

2 Acerrimus fuit Wicliffi adversarius. Contra eum Wicliffus etiam, datâ operâ, scripsit. Stokesius ille idem non fuit, atque is, adversus quem Hussus postea Wicliffi defuncti causam egit, prouti existimavit Baber, *Memoirs*. p. XLII; nam hicce Johannes dicebatur et monachus fuit Dominicanus. Cf. Baleus Cent. 6. p. 496 et 479.

irretiri se non patiebantur, valde adhaerescebant ad liberalem illius professoris disciplinam. Agedum, paulo hîc subsistamus, ut primarios, quos in hac Universitate tunc habuit Wicliffus, socios et discipulos cognoscere liceat.

Cancellarius Guilielmus Bertonus, qui anno superiore se opposuerat Wicliffo, postea et huic, et propugnatoribus ejus, indulsisse videtur. Hoc autem anno (1382), exeunte mense Maji, quum dignitate se abdicaret, in locum ejus sufficiebatur Robertus Riggius, theologiae doctor e Collegio Mertonensi, qui, uti et ambo Procuratores, Joh. Huntmannus et Gualterus Dissius s. Dashius, placitis Wicliffi favebat [1]. Prae caeteris vero innotuerunt alii doctores Oxonienses, cum doctrinae ingeniique praestantiâ, tum animi pietate. Nicolaus Herefordius, quem alibi jam nominavimus [2], eximiam semper de se excitabat pietatis opinionem. Quod ad placita ejus attinet, serviliter Wicliffi auctoritatem non sequebatur: contra, *multis eum superavit*, inquit Woodius, *ea in concionibus publicisque exercitiis affirmando, quae affirmare nunquam sustinuerat ille.* Quum munere Tutoris in Collegio Reginensi fungebatur, permagnum discipulorum numerum sibi comparasse dicitur. Monachos vero Mendicantes gravissimos expertus est inimicos [3]. Johannem Ashtonum, theologiae baccalaureum, virum doctum et pium, oberrare solitum fuisse per varias regiones, pedibus euntem ac baculum manu tenentem, retulit Knyghtonus.

[1] Wood, Lib. II, p. 399 sqq. — [2] Supra, p. 70.
[3] Lib. I. p. 190; Lib. II. p. 117. — Baleus. Cent. 6. p. 502.

Indefessus erat in propagandâ Wicliffi doctrinâ, cui de suis placitis haud raro quaedam adjiciebat. Simplici ratione laicis Euangelium annuntiabat, orisque facundiâ multis persuadebat, ut fugerent Ecclesiae vitia et errores [1]. Johannes Ashwarbius, adolescens Oxonii bonis literis operam navans, insolito discendi ardori magnam jungebat probitatem. Deinde socius Collegii Orielensis cooptatus et theologiae professor creatus, diserte atque acerrimâ argumentandi ratione propugnabat Wicliffi, viri ipsi conjunctissimi, placita. Vicarii munere quoque functus in Aede beatae Virginis Oxonii [2]. Fidissimi etiam comites Wicliffi hoc tempore erant Philippus Repingdonus, theologus Oxoniensis et Ecclesiae Licestriensis canonicus regularis: Laurentius Bedemannus, artium magister: Thomas Brightwellus, e Collegio Mertonensi, theologiae professor: Gualterus Brithus, insignis illâ aetate mathematicus [3]. Johannes Purvaeus, qui id temporis juvenili adhuc fuisse aetate videtur, Wicliffo in theologiâ praeceptore usus est, et tantos in hac disciplinâ fecit progressus, ut permultos deinceps ad suas allexerit lectiones. *Taliterque*, ait Baleus, *sanctissimus vixit, ut ea, quae ex Euangelio pie didicerat ac docuerat, piissimis vitae exemplis quoque proponeret imitanda* [4].

---

1 Cf. Knyghton. p. 2658 sqq. — 2 Wood. Lib. I. p. 186; Lib. II. p. 106. — Baleus. Cent. 6. p. 498.

3 Vid. de illo supra, pag. 70.

4 Cent. 7. p. 541. — Nomen ejus Anglice scribitur Purveye. Knyghtonus eum capellanum dixit, virumque gravitate insignem. p. 2660. Crebro verba ad populum faciebat, homines a peccatis revocans.

Habuit igitur Wicliffus socios et amicos in Universitate Oxoniensi bene multos, qui, simul atque noverant, quid ab Archiepiscopo mandatum esset Stokesio, valde indignabantur omnes. Cancellarius vehementer corripiebat hunc monachum, quem affirmabat elaborasse, ut privilegia et libertas Universitatis infringerentur; eique denuntiabat, postquam Procuratores et magistri saeculares, tum regentes, tum non regentes, ad deliberandum convenerant, fortiter se esse restiturum, quin etiam armatorum manum in promtu habiturum, atque Praetoris urbis imploraturum auxilium, si Courtnaei edictum promulgare auderet. Stokesius vero mandatum nihilominus exsequi sibi proposuit, et quidem eâ opportunitate, uti videtur, quâ Repingdonus in Ecclesiâ sanctae Frideswydae orationem erat habiturus. Jam vero hocce die, qui festus erat, Cancellarius, Procuratores et urbis Praetor magno cum Academicorum numero concioni intererant. Repingdonus, de sacramento Eucharistiae verba faciens, Ecclesiae, quantum potuit, conflare invidiam apud auditores studebat: Wicliffum vero defendebat strenue. Contendebat quoque hac occasione, preces ad Deum prius esse fundendas pro dominis saecularibus, quam pro Episcopo, vel ipso adeo Pontifice Romano [1]. Dimissâ concione, viri nonnulli, arma sub vestibus gerentes, Repingdonum praestolabantur. Stokesius autem, trepidans risuque exceptus ab amicis Wicliffi, a proposito destitit: misit tamen literas Archiepiscopo, ut

[1] Vid. Foxus. op. laud. p. 14.

certiorem eum faceret de iis, quae acciderant, ejusque opem obnixe invocavit. Rescripsit Courtnaeus Cancellario, eum admonens, ut Wicliffitis haud amplius faveret, utque potius Stokesio adesset, curanti damnatas sententias per bidellum in scholis theologicis promulgandas [1]. Interim sibi jam conciliaverat Archiepiscopus, (uti ex iisdem literis patet), tum regis, tum procerum quorundam, benevolentiam, id maxime agens, ut cum auctoritate Cleri arctius copularet regiam potestatem; quod quidem ille facilius efficere potuit, quoniam Courtnaeorum familia inter regni proceres erat spectatissima quaedam [2], et regi, tunc pecuniis valde indigenti, Cleri etiam auxilio et favore opus erat, ut tributa imponere liceret [3]. Petebant autem in Parliamento senatores, qui ad Clerum pertinebant, ut rex errores Lollardorum exstirpandos curaret eorumque cohiberet consilia, et sic prospiceret Ecclesiae et regni Angliae saluti [4]. Nam clerici haud pauci, placitis Wicliffi longe lateque diffusis, factum esse contendebant, ut nuper (1381) gravissima in regno mota esset rusticorum seditio. Rex igitur remedium huic malo se allaturum pollicitus est. In responso, ab

[1] Wood, Lib. I. p. 190. — [2] Vid. supra, pag. 119. not. 1.

[3] »*In Parliamento, facto Londoniis circa festum sancti Michaëlis* (1382), *concessa fuit regi per Clerum una decima et a laicis quintadecima; conditionaliter tamen ex parte Cleri, ut viz. rex manus apponat defensioni Ecclesiae, et praestet auxilium ad compressionem haereticorum Wicklevensium, qui jam suâ pravâ doctrinâ pene infecerant totum regnum.*" Walsingham. *Hypod. Neustriae.* p. 535.

[4] Cf. imprimis Le Bas, op. laud. p. 263 sqq. — Vaughan. Vol. II. p. 79. — De nomine Lollardorum, quo Wicliffitae a vulgo vocari solebant, vid. quae diximus supra, *Intr.* p. 19. not. 1.

ipso dato, constare inter omnes dixit, per varias hodie provincias et urbes vagari homines, indutos vestimenti genere peculiari, magnamque prae se ferentes sanctitatem, qui sine auctoritate Ecclesiae, ubicunque modo aderat hominum multitudo, concionabantur et sententias divulgabant, quas, utpote haereticas, nuperrime damnaverat synodus Londinensis: atque eosdem spargere semina discordiae inter magistratus civiles et Ecclesiasticos, plebemque ad seditionem sollicitare affirmabat. Quocirca mandatum edebatur, ut magistratus provinciales (*Sheriffs*) omnes istos haereticos eorumque fautores caperent et in custodiâ asservarent, donec certâ viâ et ratione semet ipsos sanctae Ecclesiae purgassent [1]. Illud mandatum insertum est collectioni statutorum, quae hoc anno edita sunt [2]; attamen, assensos esse Dominos saeculares et Communes (Lords et Commons) ad ejusmodi mandatum pronuntiandum, nulla fit mentio. Contra vero in Parliamento proxime sequenti (19 Novembris 1382) declararunt Communes, sibi de hocce mandato contra haereticos non convenisse cum rege, sed sine ipsorum consensu id factum esse. Rogarunt idcirco, ut statutum hoc rescinderetur, quum sibi nunquam proposuissent, vel se, vel nepotes suos, auctoritati Episcoporum magis submittere, quam fecerant majores superiore tempore. Rex se iis satis esse facturum dixit: sed vel sic tamen

1 Vaughan. Vol. II. p. 80 sq.

2 Postquam scil. Parliamenti sessiones dimissae erant, ex libellis et responsis, ad hos datis, componebantur deinceps Statuta, quae singulis annis in Codices Actorum publicorum referebantur.

spurium illud statutum ex Actis publicis nunquam deletum fuit[1].

Jam vero Courtnaeus, gloriatus, quo se ornaverat, titulo: *Inquisitoris supremi in pravitatem haereticam per totam provinciam Cantuariensem*, fortius jurisdictionem exercere studebat. Primus in Angliâ fuisse videtur, qui imploravit magistratus civilis auxilium ad stabiliendam Ecclesiae Pontificiae auctoritatem. Et, quum in reliquâ Europâ, in Galliâ maxime, Italiâ, Hispaniâ, quin etiam in Germaniâ, a saeculo jam XIII, horrenda inquisitionis tribunalia exstitissent ad exstirpandos haereticos, in Angliâ nondum rogum conscenderant Christiani ob placita, fidei Ecclesiae adversantia. Brevi vero in Britannorum quoque insulâ dirissime vexabantur, quotquot alia sentirent atque credenda esse Ecclesia pronuntiaverat. Concilium igitur, 21 Maji dimissum, iterum coëgit Courtnaeus die 12 Junii in conclave Praedicatorum Londini. Huc venerunt ad vadimonium Cancellarius Oxoniensis, Riggius, et Brightwellus, atque, interrogati sententiam de thesibus supra memoratis, responderunt, se existimare, eas esse haereticas[2]. Tum Archiepiscopus literas,

---

1 Vid. Hallam. Vol. III. p. 132.

2 Mirabitur forte aliquis confessionem horum virorum: sed sciat, memoriae proditum esse, primum Brightwellum fuisse tergiversatum in profitendâ ejusmodi sententiâ, neque libenti prolixoque animo eandem pronuntiasse Riggium. Quod Archiepiscopus quoque vel suspicatus esse, vel ex aliis comperisse videtur: nam hoc ipso die misit insuper epistolam ad Riggium, in quâ ait: » Cum intellexerimus ex fide dignorum

quas Episcopo Londinensi miserat, praelegi jussit, easque promulgandas Cancellario tradidit, sermone cum patrio, tum Latino, in Ecclesiâ beatae Mariae Oxonii et in scholis Universitatis. Porro eidem mandavit, ut Wicliffum, Herefordium, Repingdonum, Ashtonum, Bedemannum, et reliquos omnes haereseos suspectos, juberet abstinere ab omni officio scholastico, donec semet ipsos Primati Angliae purgassent, utque simul diligenter investigaret illorum fautores. Cancellarius tunc reposuisse fertur, hoc mandatum si exsequeretur, mortis discrimen se esse aditurum. »Itaque, inquiebat Archiepiscopus, Universitas Oxoniensis fautrix est haeresium, impedire studens, quominus verissima Ecclesiae doctrina palam fiat." Cancellarius autem, Oxonium redux, promulgabat mandatum: quo facto, Academici saeculares tam vehementer exarserunt contra monachos, quos Universitatem pessumdaturos esse dixerunt, ut metus mortis haud paucos invaderet[1]. Jussa igitur Archiepiscopi susque deque habita esse, inde conjicere licet, quod, mense praeterlapso, idem fere mandatum Cancellario ab ipso rege datum est.

Praelatis et doctoribus denuo ibidem congregatis die 18 Junii, in judicio se stiterunt Herefordius,

---

testimonio ac experientiâ facti, quod tu magister Robertus Rygge — praemissis conclusionibus, sic damnatis, aliqualiter inclinasti etiam et inclinas, et, quem in hac parte suspectum habemus, intendis hujusmodi clericos, sic convocatos, et alios, nobis in eâ parte adhaerentes vel faventes, — per dolosas imaginationes tuas multipliciter de facto gravare; te magistrum Robertum — monemus, — quod praefatos clericos, saeculares, vel regulares, — non graves, impedias, vel molestes," etc. — [1] Wood. Lib. I. p. 191.

Repingdonus, et Ashtonus. Sententiam de thesibus damnatis interrogati, petebant, ut illarum exemplum sibi traderetur liceretque, uno ad meditandum concesso die, sententiam de iisdem scripto mandare: Ashtonus vero hoc recusabat, et continuo ad quaestiones respondere paratus esse videbatur. Quum tamen eum interrogarent, propositum sibi esse dicebat, tacendo dissimulare suam sententiam. Die 20 Junii Herefordius et Repingdonus responsa tradebant concilio, in quibus, ipsorum quodammodo expositâ sentiendi ratione, assensi sunt, theses istas partim esse haereticas, partim erroneas, et se, vel in scholis, vel in sermonibus, eas unquam docuisse negarunt [1]. Mitiorem autem in partem suas sententias interpretati esse videntur, callideque sic judices deludere studuisse. Quod tamen iis non cessit; nam doctores a Courtnaeo rogati, quid sibi de expositionibus illis videretur, omnes dixerunt, esse eas exiguas, dolosas, imo vero haereticas. Moniti propterea, ut plane, sine verborum subtilitate, neque sophistice, sententiam aperirent, ambo respondere aliter noluerunt, quam fecerant [2]. Tunc Archiepiscopus putans, tacite eos

---

1 Knyghtonus memoravit binas confessiones, unam Herefordii, Ashtoni alteram, Anglice scriptas et conciliò die 19 Junii exhibitas. p. 2655 sq. In hisce de sacramento Eucharistiae disputatur et Ecclesiae hac de re doctrina defenditur. Licet tamen dubitare de earundem authentiâ, et multas quidem ob causas. Cf. Vaughan. Vol. II. p. 89., cui haud immerito mirum videtur, illas in Registro Courteney non esse asservatas. — Vid. Lewis. p. 209 sq.

2 Walsinghamus rem sic narravit: — » tandem post multas tergiversationes, imponendo duplicem sensum in eisdem, et ca-

assensum praebere illis placitis, quae Ecclesia damnabat, citavit eosdem ad diem 27 Junii, ut de concilii judicio certiores fierent. Eâdem ratione, quâ illi, monitus Ashtonus, de ridiculi gratia respondit, et vernaculâ quidem linguâ, ut laici, qui aderant, res intelligerent. Courtnaeus vero eum Latine loqui jussit, et sententiam de Eucharistiâ rogavit, num panis post consecrationem remaneret materialis, particularis etc.; dixit autem, » ejusmodi definitiones captum suum excedere:" atque aliter respondere quum nollet, statim haereticus est declaratus. Herefordius vero et Repingdonus venerunt in sacellum manerii Archiepiscopalis de Otteforde. Sed, quandoquidem Courtnaeus tunc solus erat, ad diem 1 Julii denuo citati sunt; quo tamen die, synodo convocatâ, illi vadimonium deseruerunt, et hanc ob contumaciam sunt excommunicati.

Eodem illo mense Julii Richardus II tria dedit Brevia. In primo denuntiabat, Episcopis concessam esse potestatem detinendi omnes haereticos placito regis vel hujus curiae, donec resipiscerent. Alterum mandabat Cancellario et Procuratoribus Universitatis, ut diligenter omnes indagarent Academicos, qui haereseos erant suspecti, vel aliquatenus Wicliffo ejusque sociis favebant, atque, tales deprehendentes, expellerent eos Universitate et urbe Oxoniensi intra septem dies, nec redire illuc sinerent, antequam iidem Archiepiscopo se purgassent. Porro jussi sunt Aulas et Collegia perscrutari, omnesque libros Wicliffi, Herefordii, alio-

villationes diversas, coacti sunt, licet inviti, simpliciter proferre sentire suum de praemissis." *Hist. Angl.* p. 286.

rumque, quos reperirent, intra mensis spatium integros ad Courtnaeum transmittere: qua in re magistratus Oxonienses opem iis praestituri esse dicebantur [1]. In tertio Brevi iisdem mandabatur, ut monachum Henricum Crompium [2], theologiae doctorem, in pristinum locum restituerent. Hunc enim Riggius, quia Universitatis pacem conturbabat, et Wicliffi sociis convicia ingerebat, eos Lollardos vocans, ab omni officio scholastico abstinere jusserat.

Interea Herefordius et Repingdonus ab Archiepiscopi sententià ad Papam provocasse videntur: nam die 12 Julii appellationem quandam, ab illis factam, inanem declarabat Courtnaeus. Tandem Repingdono et Ashtono animus potius fuit ad recantandum, quam ad moriendum; atque propterea excommunicationis sententiâ absoluti inque locum pristinum restituti sunt [3]. Herefordius tamen animo praefractiore fuisse, neque cum caeteris de sententiâ suâ tunc decessisse dicitur. Tandem vero ille quoque succubuit [4].

---

[1] Datum est hoc Breve, die 13 Julii. Cf. Rymer, Tom. III. P. III. p. 141.

[2] Natione Hibernus fuisse dicitur. Postea, in patriam reversus, sententiam mutavit, et Wicliffi doctrinam scriptis et sermonibus divulgare studuit. Propagans autem per Hiberniam illius placita, ad examen vocatus est Crompius a dioecesano suo Guil. Andreâ, Episcopo Midensi. Vid. Wood. Lib. 1. p. 186, 196.

[3] Tota haec res, quam brevissime fieri potuit, a nobis communicata est ex documentis authenticis, quae, majorem partem descripta e Registro Courteney, collegit in opere suo Wilkinsius. Vol. III. p. 156—171.

[4] Knyghtonus narrat, eum favore Ducis Lancastriae in tutum tunc evasisse Romamque profectum esse, ut coram Papâ placita

Quid autem turbidis istis rebus Wicliffo accidit? num ille, quum et honoribus floreret et generoso sacrorum emendandorum studio flagraret, eum vitae cursum tenere potuit, ut vel in negotio sine periculis, vel in otio cum dignitate esse posset? Hoc igitur nunc exploremus. Citatum eum fuisse ad congregatos Episcopos et doctores in aedes Praedicatorum Londini, hujus rei nullum reperire potui indicium. Scripsit quidem Whartonus: »Neque — se praesentem sistere voluit Wiclefus, de insidiis, sibi a praesulibus in itinere positis, certior ab amicis redditus. Absentis tamen causam egerunt Academiae Oxoniensis Cancellarius, Procuratores bini, ac senatus pars longe major; qui, missâ ad synodum epistolâ publico Academiae sigillo munitâ, praeclarum doctrinae ejus, pietatis, ac fidei orthodoxae elogium reddiderunt"[1]. Sed epistola, quam significare videtur Whartonus, perscripta fuit anno

sua defenderet, atque hinc reversum, ab Archiepiscopo ad mortem usque in carcerem conjectum esse. p. 2657. — Woodius contra refert, eum, postquam se submiserat, habitum Carthusianum induisse, Conventriam profectum, ibique in coenobio sanctae Annae tranquille vixisse et diem supremum obiisse. Lib. I. p. 193. — Ex iis, quae Walsinghamus scribit p. 328., Herefordium, etiamsi de Eucharistiâ sententiam revocasset, caeteroquin tamen anno 1387 adhuc germanum Wicliffi discipulum fuisse, efficeres. — Alii memoriae prodiderunt, eum munere Ecclesiastico anno 1394 a rege fuisse ornatum. Eodem modo de Ashtoni, Repingdoni aliorumque fatis fere incerti haeremus, quandoquidem scriptores multum inter se discrepant. Cf. de illis Lewisius. p. 208—222.

1 *Append. ad* Cavei *Hist. Liter.* Vol. II. p. 62. In notâ ad hunc locum illa epistola exstare dicitur in opere Wilkinsii, Vol. III. p. 302: quae vero illic occurrunt literae, hae datae sunt anno 1406.

demum 1406: et praeterea, considerantibus nobis negotia supra memorata, ejusmodi agendi ratio Universitatis Oxoniensis hoc rerum discrimine minus verisimilis est. Mirari vero desinemus, coryphaeum illius sectae tunc in jus non esse vocatum, si redeamus in memoriam imprimis eorum, quae acciderunt in Aede divi Pauli, quum Courtnaeus tam infeliciter rem contra Wicliffum egit: haec virum illum ambitiosum et superbum non fugisse opiner. Ab omni quidem officio scholastico Wicliffus quoque jubebatur abstinere, donec Archiepiscopo de haeresi se purgasset: sed non patet, hocce mandatum severe exsecutum esse Cancellarium. Et anathema, quod Courtnaeus ei minatus erat, nondum erat pronuntiatum: sive ille metuerit nobiles Wicliffi et potentes fautores atque patronos, sive alias ob causas id distulerit. Plurimum hoc tempore commoratum fuisse Wicliffum in parochiâ Luterovorti, haud est improbabile. Ne tamen ibi ignaviter eum latuisse putemus: contra vero orationibus sacris intonuit ejus vox adversus clericorum in mentes hominum dominandi effrenatam libidinem. In oratione quâdam, hoc fere tempore, ut videtur, habitâ, respexit ad actionem, quam Herefordio et Ashtono intendebat magnus ille Angliae Episcopus, (sic aspere appellabat Courtnaeum), quem irâ succensum dixit, quod lex Dei Anglice scripta erat in laicorum commodum[1]. In

---

[1] *He (the great bishop of England)*, inquit Wicliffus, *pursueth a certain priest, because he writeth to men this (God's law) English, and summoneth him, and traveleth him, so that it is hard for him to bear it. And thus he pursueth another*

aliâ oratione verba faciens de sepulturâ Christi, et de sacerdotibus Judaeorum, frustra illius resurrectionem prohibere molitis, horum artibus et conaminibus assimilabat studia clericorum et quorundam magistratuum ac principum Angliae, qui cohibere nitebantur, quominus Euangelium omnibus hominibus innotesceret et hoc modo sacra emendarentur [1].

Diximus supra, Wicliffo fuisse propositum ad regem et Parliamentum provocare, postquam Cancellarius Bertonus eum vetuerat publice disputare de sacramento Eucharistiae: hujus autem propositi tenax fuit. Nam Parliamento, quod sub finem anni 1382 (19 m. Nov.) convenit, exhibuit libellum, in quo placita sua exposuerat, humaniter simul rogans, ut rex et regni senatores suâ auctoritate placita illa approbarent atque

---

*priest, by the help of pharisees, because he preacheth Christ's Gospel freely, and without fables. Oh! men, who are on Christ's behalf, help ye now against Antichrist, for the perilous times are come, which Christ and Paul foretold!* vid. Vaughan. Vol. II. p. 85, 87.

1 *Thus*, inquit, *do our high priests: — therefore make they statutes stable as a rock, and they obtain grace of knights to confirm them, and this they well mark with the witness of lords; and all lest the truth of God's law, hid in the sepulchre, should break out to the knowing of the common people. Oh! Christ, thy law is hidden thus; when wilt thou send thine angel to remove the stone, and show thy truth unto thy flock? Well I know that knights have taken gold in this case, to help that thy law may be thus hid, and thine ordinances consumed. But well I know that at the day of doom it shall be manifest, and even before, when thou arisest against all thine enemies."* vid. Vaughan. Vol. II. p. 96.

vindicarent. Referuntur ea ad quatuor capita primaria: primum agit de re monachicâ, tum de jure dominorum saecularium in bona Ecclesiae temporalia, deinde de donis merito denegandis clericis graviter delinquentibus, denique de sacramento Eucharistiae. In exponendo argumento primo diutius, quam in caeteris, occupatus fuit: quod facile intelligimus, reputantes, monachos vel maxime opitulatos fuisse Courtnaeo ad citandos Wicliffi socios et amicos[1].

Insolita profecto res erat, in controversiâ de rebus theologicis provocare, non ad Episcopos vel summum Pontificem, verum ad viros politicos ipsumque regem, atque his placita, quae haeretica dicebantur, dijudicanda tradere. Egit tamen Wicliffus prudenter et secundum suam cogitandi rationem. Noverat enim, se esse in simultate clericorum, maxime regularium, omniumque Papae amicorum: atque, prouti existimabat, Ecclesiasticorum, tam bona, quam personas, haud

---

[1] Titulus hujus libelli est, *A complaint of John Wyclif, exhibited to the King and Parliament.* MS. in Benet Coll. Cantabr. et Trin. Coll. Dubl. — MS. Lat., titulo: *ad Regem et Parliamentum*, reperitur inter MSS. Cotton. in Museo Brit. — Anglicum MS. a Jamesio in lucem editum est. vid. supra, pag. 72. not. 1. Incipit sic: »*Please it to our most noble and most worthy King Richard, King both of England and France, and to the noble Duke of Lancaster, and to other great men of the rewme, both to seculars and men of holy Church, that ben gedred in the Parliament, to there assent and meyntene the few articles or points, that ben sett within this writing, and proved both by auctority and reson; that Christen faith and Christen religion ben encreased, meyntened, and made stable.*" vid. Lewis. p. 83.

esse immunes a jurisdictione civili, sic quoque saepenumero contendebat, magistratuum et dominorum saecularium esse, vindicare subjectorum vitam, bona, sentiendi agendique libertatem.

In Domu inferiore Wicliffi provocatio effectum satis prosperum sortiebatur, siquidem Communes hac opportunitate a rege petierunt, ut edictum illud contra haereticos, de quo mentionem jam injecimus [1], abrogaretur. Sed vel sic tamen solertiâ potissimum Courtnaei cautum fuisse videtur, ne rex promissis suis staret. Dux vero Lancastriae, qui tamdiu Wicliffo impense semper faverat, quamdiu illius studia reformandi spectaverant tantum ad mores, regimen et disciplinam Ecclesiae, patrocinium causae, quam ille nunc egit, suscipere dubitabat. Wicliffum Anglice transtulisse Codicem sacrum ejusque usum commendasse laicis, valde etiam comprobabat; sed, quum eundem ex scriptis sacris petere argumenta videret ad impugnanda sanctissima mysteria Ecclesiae, ab eo dissentiebat, et sequi hac in re Ecclesiae auctoritatem maluisse videtur, potius quam explicatione gravissimarum quaestionum suspensum detineri. De pace igitur suadens admonebat Wicliffum, ut se submitteret judicio Ecclesiasticorum, neque in posterum de ejusmodi materiâ amplius loqueretur [2]. Attamen vel sic illustrissimus

---

[1] Vid. supra, pag. 195.

[2] Valde propterea laudabatur Dux Lancastriae: dicebant eum *Ducem egregium et militem strenuum, sapientem consiliarium, sacrae Ecclesiae filium fidelem.* Vid. Wilkins. Vol. III. p. 171.

ille princeps ab amicitiâ afflictâ transfugisse mihi non videtur [1]. Neque Wicliffus praesenti rerum suarum discrimine desperavit. Persuasissimum sibi habens, Deo esse magis obediendum, quam hominibus, consilium Ducis Lancastriae repudiavit, fortiterque in sententiâ perseverare sibi proposuit, quaecunque evenirent, intrepido animo exspectans, et salutem committens divinae Providentiae [2]. Quae perseverantia apparuit, ubi tandem sub finem hujus anni, vel initio anni 1383, Wicliffum quoque in jus vocarunt primarii Angliae Ecclesiastici. Nam Oxonium hoc fere tempore convenerunt Archiepiscopus Cantuariensis, Episcopus Londinensis, Lincolniensis, Norvicensis, Vigorniensis, Sarisburiensis, et Herefordiensis, ibique concilium habuerunt una cum Universitatis Cancellario multisque doctoribus et aliis clericis; Guilielmus Wickhamus, nobilis Vintoniensis Episcopus, etiam adfuisse dicitur. Citarunt autem Wicliffum, ut interrogaretur de rebus,

---

1 *Qui* (Dux Lancastriae), ait Knyghtonus, *semper ei et suis in omnibus necessitatibus invincibili praesidio affuit, et aliter ipse et sui in foveam interitus viliter cecidissent.* p. 2647.

2 Vaughanus indolem Wicliffi egregie his verbis expressit: *The language of his conduct amid the growing power of his enemies, would seem to be: » To live, and to be silent, is, with me, impossible — the guilt of such treason against the Lord of heaven is more to be dreaded than many deaths. Let the blow therefore fall. Enough I know of the men whom I oppose, of the times on which I am thrown, and of the mysterious providence which relates to our sinful race, to believe that the stroke may ere long descend. But my purpose is unalterable.' I wait its coming!''* Vol. II. p. 223.

quas nuperrime in libello ad regem et Parliamentum exposuerat, praecipue autem de Eucharistiae doctrinâ. Ille nunc libere defendebat placita sua coram frequentissimâ congregatione: permulti enim ex populo undique concurrerant, ut Oxoniensem professorem respondentem audirent.

Huic quoque concilio tradebat scriptam fidei suae de Eucharistiâ confessionem, »*in qua* (ut adversariorum Wicliffi afferam testimonium) *continebatur omnis error pristinus, sed secretius sub velamine vario verborum, in qua dixit suum conceptum, et nisus est suam sententiam probare. Sed, velut haereticus pertinax, refutavit omnes doctores de secundo millenario, in materiâ de sacramento altaris; et dixit, omnes illos errasse, praeter Berengarium, — dixit palam, Sathanam solutum et potestatem habere in magistro sententiarum, et in omnibus, qui fidem catholicam praedicaverunt*" [1]. Contra hocce, ab inimicis datum, testimonium, nonnulli, viri integritati labem adspergere cupientes, palinodiam tunc cecinisse Wicliffum, ut mortis periculum evaderet, calumniati sunt [2]. Potius vero quam istis fidem adhibeamus, rem

---

1 Sudbury Registrum, apud Wilkinsium. Vol. III. p. 171.

2 Ex. g. Knyghtonus. p. 2647. »*eis omnino renuncians*, ait 2649., *nec eas tenuisse, neque tenere se velle protestans.*" Woodius quoque hunc fere in modum judicavit. Lib. I. p. 189. Animadvertendum vero est, Polydorum Virgilium, qui unus fuit ex purpuratis in aulâ Papae, et legationem obiit apud regem Angliae Henricum VIII, cui valde gratiosus erat, ita de Wicliffo scripsisse in *Hist.* suâ *Angl.* Lib. XIX in fine: »*Ad extremum homo nimium confidens, cum rationibus veris cogeretur ad bonam redire frugem, tantum abfuit,*

dijudicare ipsi conemur. Quod nobis licet, quandoquidem etiamnunc exstat duplex exemplar illius confessionis, alterum Latine, Anglice alterum conscriptum, et, quod attinet ad summam, parum inter se diversum. Latinam autem confessionem, stilo scriptam accommodato ad ratiocinationem, illo tempore usitatam in scholis, abstrusam, intricatam atque implicitam esse equidem non diffitebor: neque is ego sum, qui disciplinae scholasticae mille nodos et aenigmata expediam; illud tamen ex tenebris istis facile erui posse arbitror, Wicliffum in eâdem tunc mansisse sententiâ de sacramento Eucharistiae, atque fuerat jam antea, neque eum ullo modo calculum adjecisse impiis Pontificiorum figmentis et praestigiis circa hanc doctrinam. Huc scilicet redit tota disputatio: *symbola sacrae coenae naturâ suâ sunt panis et vinum, sed vi et ratione sacramenti significant corpus et sanguinem Christi* [1]. Modum vero, quo hanc sententiam argumentatus est, obscurum invenies. Distinguit inter rationem, qua corpus Christi adest in hostiâ consecratâ, et qua adest in coelo. *Credimus*, inquit, *quod triplex est modus essendi* (id est τοῦ εἶναι) *corpus Christi*

---

*ut pareret, ut etiam maluerit voluntarium petere exilium, quam mutare sententiam.*" Quod testimonium alicujus esse momenti videtur, quoniam ille Virgilius caeterum injuste Wicliffum aestimavit, odio in eum abreptus.

1 „— *ponimus, venerabile sacramentum altaris esse naturaliter panem et vinum, sed sacramentaliter corpus Christi et sanguinem.* — *Quod oportet sic intelligi, quod spiritualiter sumimus carnem Christi.*" Wicliffus in confessione Latinâ.

*in hostiâ consecratâ, scilicet virtualis, spiritualis, et sacramentalis.* — *Sed praeter istos tres modos essendi, sunt alii tres modi realiores et veriores, quos corpus Christi appropriate habet in coelo, scilicet modis essendi substantialiter, corporaliter, et dimensionaliter*, etc.[1]. Confirmare illa studuit testimoniis Jesu et Patrum Ecclesiae. *Manifestum est*, ait, *ex auctoritate et dictis Christi, quod panis ille fuit sacramentaliter corpus suum.* Tum ex Patribus Ecclesiae laudavit verba quaedam Ignatii, Cypriani, Ambrosii, Augustini, aliorumque beatorum. De Euangelio vero locutus, unice digno, cui fidem habeamus, *sicut dicit Augustinus*, inquit, »*Si ego quicquam dixero, nolite ex hoc credere; sed si Christus, vae! qui non credit.*" — *Ideo vae! generationi adulterae, quaè plus credit testimonio Innocentii, vel Raymundi, quam sensui Euangelii, capto* (intellecto) *a testibus supradictis.* Affirmare, sacramentum illud esse accidens sine subjecto, neque verum panem et vinum, hoc contrarium Euangelio vel maxime esse statuit. *Et tamen* (sic peroravit) *tantum magnificant sacerdotes Baäl, mendaciter indubie juxta scolam patris sui, consecrationem hujus accidentis, quod reputant Missas alias indignas audiri, vel dissentientes suis mendaciis inhabiles ali-*

---

1 — *he plunges us*, ait Le Bas, *into a perfect jungle of argumentation, in which I profess myself unable to see my own way, and through which I therefore will not attempt to conduct the reader.* p. 276. Neque mihi quoque oberrare lubet aliosque circumducere per istum labyrinthum.

*cubi graduari; sed credo, quod finaliter veritas vincet eos*[1].

Neque etiam ex confessione Wicliffi Anglicâ, quae multo brevior magisque ad captum omnium composita est, colligi potest, eum suam revocasse sententiam, vel prae timore submisse et humiliter se erga judices suos gessisse. Contra vero fortiter ante dicta et scripta tuetur, audacter loquitur de temeritate et stultitiâ illius concilii, quod Londini habitum erat[2], cujusque ob impietatem terram motam fuisse dicit[3]. Sibi autem persuasissimum se habere fassus est, clericos, qui ipsius placita de Eucharistiâ erant amplexati, magnâ ex parte potius morituros, quam illa abjuraturos esse[4].

His igitur exploratis, num dicemus, Wicliffum palinodiam cecinisse? — Profecto non licet. Nec fratres Mendicantes illo tempore sic judicarunt: nam, simul atque Wicliffi confessio edita erat, plures eorum con-

---

1 Haec *Confessio de Eucharistiâ magistri Johannis Wycclyff* typis mandata est in opere Lewisii, p. 272—281. et in op. Vaughani, Vol. II. App. N°. VI. p. 428—433.

2 Vid. supra, p. 184.

3 Saepius Wicliffus de hoc concilio mentionem fecit, quod in *Trial.* Lib. IV. cap. 36. *concilium terrae motus* vocat.

4 Haec confessio reperitur in Annalibus Knyghtoni. p. 2649 sq. Typis quoque mandata est a Vaughano, Vol. II. App. N°. VII. p. 433 sq. et in op: *Writings of John Wickliff*, etc. p. 46 sq. — Vaughanus ejusdem exstare MS. Lat. dicit p. 384, titulo: *de fide Eucharistiae.* — Insuper Knyghtonus aliam brevissimam Wicliffi de Eucharistiâ confessionem communicavit, Anglice quoque scriptam. p. 2647., quam Lewisius etiam memoravit, p. 285 sq.

tra hujus doctrinam scripserunt [1]. Neque etiam ita visum fuit judicibus Ecclesiasticis. Quanquam scilicet anathema adversus Wicliffum tunc nondum pronuntiabant, Universitate tamen Oxoniensi eum exterminabant: cui sententiae ut rex assensum praeberet, Courtnaei potissimum et Wickhami operà factum esse videtur [2]. Metuebant autem, credo, severius judicare virum, quem populus amore prosequebatur, cui permulti ex nobilissimis Anglis impense favebant, ad cujus denique disciplinam haud pauci doctores Oxonienses, sive clanculum, sive palam adhaerebant. Et prudenter idcirco poenas non graviores de eo sumserunt, quem condemnatum plurimos propugnaturos esse sciebant.

---

1 Vid. Wood. Lib. I. p. 189.

2 Laudat Baylius locum ex *Historicâ* quâdam *descriptione*, cujus fons fuit Registrum Lambethanum; est autem ejusmodi: » *Quid animi fuisse putas Richardo regi, quum Wicamum, anno regni sui septimo, una cum Courtneo, Cantuariensi Archiepiscopo, Oxonium contra virum acerrimum, Johannem Wicklefum, mitteret? An mediocris eruditionis et ingenii esse oportebat, qui (quod ille ibi praestitit) dissentientes in religione opiniones conciliaret, et tam celebrem et acutum virum suspectae fidei redargueret et ex Academiae finibus exterminaret.*" Vid. ejus Dict. in voce: *Wickam.*

# CAPUT V.

WICLIFFUS, UNIVERSITATE OXONIENSI OB PLACITA SUA EXTERMINATUS, RELIQUAM VITAM LUTEROVORTI DEGIT, INQUE DIVULGANDA DOCTRINA EUANGELICA AD MORTEM USQUE OCCUPATUS EST.

*Ab initio anni 1383 ad finem anni 1384.*

Wicliffus jam illius Universitatis exsul erat, cujus jura et libertatem strenue ab oppressione monachicâ vindicavit, cujus lumen fuit et ornamentum, ubi studia quaeque generosiora excitavit, eaque tradidit placita, quae viam parabant ad religionis Christianae instaurationem. Quieta autem Luterovorti parochia refugium ei fuit[1]. Sed, hoc vixdum occupato portu, fore, ut in mare eum referrent novi fluctus, videbatur.

[1] Lewis. p. 97 sq. — Foxus, in op. laud. p. 15. ait: *Interim quid de Wiclevo sit factum, nihil certi constat, nisi ex Valdeno colligere liceat, abactum fuisse in exilium.* — Whartonus vero: *sunt etiam*, inquit, *qui Wiclefum in Bohe-*

Urbanus VI enim brevi post in curiam Romanam eum vocavit ad se purgandum coram ipso de placitis haereticis, quorum erat accusatus. Excusavit vero Wicliffus Pontifici valetudinem infirmam, quâ impediebatur, quominus tam longum faceret iter. Nam hoc jam tempore paralysi tactus fuisse videtur. Memoratu perquam digna est epistola, quam tunc misit Urbano. Rescribebat ei, (ironice propemodum dixerim), se lubenter cum quovis probo homine suas communicare sententias, praesertim ad eas aperiendas summo Pontifici semper se esse paratum. Namque se confidere dicebat, Papam quibuscunque placitis, quae vera essent ac divinitus tradita, cum voluptate esse fauturum: quodsi falsa essent, fore sperabat, ut ille sapienter ea corrigeret. Pergebat autem ita, ut familiariter et audacter Papam de multis rebus admoneret, de quibus mentionem fieri, quin huic minus placuerit, nullus dubito. Nominatim ejus quidem vitia non reprehendebat Wicliffus, sed tamen in Pontificiam dignitatem, illo tempore vel maxime alienam a modestiâ et simplicitate, quas commendant Christi doctrina et exemplum, tam apte petitionem conjiciebat, ut Urbanus eam vitare non posset. Ut nimirum Papa quodammodo intelligeret, quaenam esset ipsius fides, certiorem eum faciebat, omnia,

---

*miam secessisse, inventâque ibi amplâ simul ac foecundâ discipulorum messe, doctrinam suam longe lateque propagasse volunt. Verum id parum certum.* — In opere Cavei. Vol. II. p. 62. Haec fabella apud alios etiam reperitur scriptores, ex. g. apud Phil. Mornaeum, *Hist. Papatus*. Gorichemi. 1672. p. 446. — Hodie vero satis constat, Wicliffum, Universitate exterminatum, reliquam vitae partem degisse Luterovorti.

quae credebat, a se dirigi ad normam Euangelii Christi, quod Euangelium existimabat esse legem divinam, quavis aliâ lege longe superiorem, cujusque effata et praecepta praecipue erant observanda a Romano Pontifice, qui sese dicebat supremum in terrâ Christi vicarium. Neque hujus vicarii dignitatem et magnitudinem metiendam esse putabat splendore terrestri, sed probitate et vitae integritate, secundum Jesu exemplum. Christus enim, inquit, quem imitando repraesentare in hac terrâ debet summus Pontifex, animo erat admodum simplici et modesto omniumque hominum pauperrimus; ne habuit quidem, ubi recubaret. Declarabat porro, persuasissimum sibi esse, homines non oportere imitari Papam, neque etiam beatum ullum, ad beatorum sedes jam profectum, nisi quatenus Christum ille imitaretur, vel hi fuissent imitati; nam Jacobum et Johannem errasse dicebat, ac peccasse Petrum et Paulum. Salutare igitur sibi videbatur dare Papae consilium, exhortans eum, ut omni se abdicaret potestate civili et hanc solis principibus et dominis saecularibus concederet, utque ad id incitare festinaret totum Clerum [1]. Quodsi

[1] Ut hujus consilii vim intelligamus, redeamus in memoriam rerum, quae tunc in Italiâ gestae sunt, quibusque valde se immiscuit Urbanus VI. Hicce nempe Papa excommunicaverat Johannam, stantem a partibus Papae Avenionensis, atque regnum Neapolitanum tanquam feudum contulerat in Carolum III, principem Durracii... Unde bellum exortum. Ludovicus autem, Dux Andegavensis, quem Johanna filium et successorem adoptaverat, hoc ipso anno (1382), Italiam cum exercitu nvadebat. Praelio vero commisso, Urbani vasallus de Ludovico victoriam reportavit.

hac in re a vero aberraret, meliora edoceri vehementer cupiebat. Denique fatebatur, se quidem, opitulante Deo, haud recusaturum esse adire Papam, sed, quominus hoc iter faceret, a divinâ se impediri Providentiâ, cui magis erat auscultandum, quam hominibus; quodque Papam etiam decebat, nisi reapse palam se Antichristum praestare vellet[1].

In hac Wicliffi excusatione acquievisse videtur Papa, curis domesticis et negotiis longe gravioribus implicitus. Nam adversarius Avenionensis multo magis in praesentiarum molestus erat Urbano, quam professor ille Oxoniensis. Wicliffus idcirco tranquille reliquum tempus Luterovorti degit. Antequam vero enarrare pergamus, quomodo illic vixerit quidque extremâ vitae aetate perfecerit, operae pretium erit mentem advertere ad vim et efficacitatem, quam hoc tempore vir ille in Anglos exseruerat. Haec enim animadversio hujus loci esse videtur. Attamen operam dabo, ut de Wicliffitis breviter tantum dicam.

Quo tempore Wicliffus ab Universitate Oxoniensi exsulabat, placita ejus et reformandi studia magnam jam exseruerant vim in omnes hominum classes. Scripsit sub annum 1382 Knyghtonus, testis oculatus: *Crevit populus credentium in istâ doctrinâ, et quasi germinantes multiplicati sunt nimis, et impleverunt*

---

[1] Haec epistola ex MS. Angl. in Bibl. Bodl. edita est a Lewisio, p. 283 sqq., a Vaughano, Vol. II. App. N°. VIII., in op. *Writings of John Wickliff*, etc p. 48. Eadem epistola, Latine conscripta, exstat in opere Foxii, p. 16.

*ubique orbem regni*[1]. — *Secta illa* (Wicliffitarum) *in maximo honore illis diebus habebatur, et in tantum multiplicata fuit, quod vix duos videres in viâ, quin alter eorum discipulus Wycliffi fuerit*[2]. Quanquam haec postrema verba haud dubie tanquam hyperbole sunt accipienda, tamen verisimilia sunt, si de Licestriâ tantum intelliguntur, in quâ dioecesi sita erat parochia Luterovortana, et ubi ipse Knyghtonus aliquando canonicus fuit. Multi etiam clam fovebant Wicliffi placita; alii vero reperiebantur, qui, licet non omnia, quae dicebat, ei assentirentur, solidam tamen admirabantur viri eruditionem eumque magni faciebant propter ipsius humanitatem atque mores integros et honestos. Interdum quidem a causâ, quam ille strenue agebat, imminente periculo defecerunt nonnulli, contra vero, qui prius acerrime ei adversati erant, postea meliora edocti, in ejusdem haud raro iverunt sententiam.

Quanta fuerit doctrinae ejus vis in Universitatem Oxoniensem, jam vidimus. In urbe quoque Londini multi cives ei favebant, imprimis vir opulentus, Johannes de Northampton, alias Comberton, hoc anno (1382) Praefectus urbis, quem Majorem vulgo dicunt[3]. Porro Wicliffum ejusque socios gavisos fuisse egregiis patronis e familiâ regiâ, ex regni nobilibus, in Parliamento, maxime in Domu inferiore, identidem nobis apparuit. Multos fuisse Equites, Duces et Comites, memoravit

---

[1] p. 2663. — [2] p. 2666.
[3] Vid. Walsingham, *Hist. Angl.* p. 288 sq.

Knyghtonus, »*qui hujus sectae promotores erant strenuissimi et propugnatores fortissimi: qui militari cingulo ambiebant, ne — aliquid opprobrii aut dampni — sortirentur*" [1]. Ex his illustria quaedam innotuerunt nomina, Thomae Latimeri, Joh. Trusselli, Joh. Pecchii, Richardi Sturrii, Reginaldi de Hilton, Guilielmi Nevillii, Joh. Clenbonii, et Joh. Montacutii. Sed nescio, an Anglorum nobilium quis majorem nactus sit nominis celebritatem, quam Eques ille auratus, Johannes Oldcastle, Dominus de Cobham, qui, juvenili aetate auditor Wicliffi, post hujus mortem non solum fautor Wicliffitarum fuit, verum qui ipse quoque tenuit et defendit eorum placita omnibusque modis per regnum Angliae ea propagare studuit; quin etiam de horum doctrinae bonitate tantopere illi persuasum fuit, ut, regnante Henrico V, pro illâ tuendâ mortem intrepide oppetierit.

Praeterea vero pars quaedam discipulorum Wicliffi illis diebus oberrabat per Angliam, maxime per provinciam Licestriensem, qui praesertim *Lollardi* a vulgo dicebantur: Wicliffus autem eos *presbyteros pauperes* (*poor priests*) vocare amabat. Per hos doctrina Wicliffi imprimis vim in Angliam exseruit, et quidem ad tempora usque Reformationis sub Henrico VIII. Post annum 1377 prodiisse videntur: nam hoc fere tempore mentio de iis primum facta est, cum in Wicliffi scriptis, tum in Anglorum Annalibus [2]. Descri-

---

[1] p. 2662. — [2] Cf. Vaughan. Vol. I. p. 382. not. 9. — Walsingham, *Hist. Angl.* p. 191.

buntur iidem quodammodo in literis Cancellarii Bertoni, in mandato Archiepiscopi Courtnaei et edicto regis Richardi II [1]. Commemorantur etiam in poëmatibus Chauceri, et placita, de quibus controversia iis erat cum Pontificiis, bene cognosci possunt ex *Fabulâ aratoris* (*the plowman's Tale*), quae ante Richardi II mortem, vel ut alii putant, jam ante obitum Wicliffi, conscripta est [2]. Tum vero etiam Wicliffus mores eorum egregie expressit in opusculo: *Pro egentibus presbyteris*, sive *de causis ob quas pauperes presbyteri beneficiis non gaudent* (*why Poor Priests have no Benefices*) [3]. Videntur illi Wicliffi discipuli homines fuisse simplices et modesti, pietate et morum quâdam gravitate insignes, castimoniâ et temperantiâ se imprimis commendantes; divitias omnemque luxum aspernabantur, rebus ad vitam sustentandam necessariis contenti: unde vestimenti quodam genere peculiari et admodum simplici induti fuisse victumque manuum labore quaesivisse dicuntur. Magnam autem partem officiis clericorum fungi solebant, ita tamen, ut beneficiis quidem non gauderent, neque unius parochiae ministerio se dicarent; vagabantur vero plerumque per varias regni partes, et tam in aedibus sacris, quam in aliis locis, atque haud raro sub dio, orationes ad congregatam multitudinem habebant. Nam abstinebant, ut ex Wicliffi opusculo modo laudato comperimus, ab omnibus beneficiis Ec-

---

[1] Vid. supra, p. 179, 189 et 195. — [2] Vid. Vaughan. Vol. II. p. 157 sqq. — [3] Lewisius in opere suo edidit illud opusculum ex MS. Angl., in C. C. C. Cantabr. Vid. p. 287—298.

clesiasticis, metu simoniae, et ne homines egenos bonis privarent; at vero spes eos tenebat, fore, ut plus prodessent rei Christianae, Apostolorum instar oberrantes, quam si intra unius parochiae fines commorarentur. Hoc quidem concionandi munus sibi arrogabant absque Episcoporum auctoritate, quâ de re Archiepiscopum Cantuariensem vehementer querentem audivimus [1]. Eatenus igitur similes Mendicantium familiae, quatenus valde populares erant inque populum vim exserere imprimis studebant, distinguebantur tamen vel maxime ab istis, quod laicos non delectabant verborum praestigiis, fabellis rebusque mirificis, sed superstitione eos exsolvere cupiebant iisque simplici ratione et linguâ vernaculâ Euangelium annuntiabant, cui unice oportere contendebant, ut Ecclesia Christiana tanquam fundamento inniteretur. Wicliffi autem placita, quibus deinceps alia addiderunt, longe lateque diffundentes, populum studebant excitare adversus Hierarchiam Romanam, eique persuadere, sacra, ob universam Ecclesiae depravationem, prorsus esse emendanda. Quodsi doctrina, quam hominibus tradebant, iis erat propugnanda, fuisse dicuntur acuti in disputando atque valde diserti, adversariisque fere semper superiores [2]; neque provocabant in ejusmodi disputationibus ad aliam auctoritatem, nisi ad Codicem sacrum [3].

---

[1] Vid. supra, pag. 188 sq. — [2] Cf. Knyghton. p. 2665.

[3] Hallamus, haud immerito, ut videtur, comparavit Lollardos cum Puritanis tempore reginae Elisabethae. Vol. III. p. 475 sq. — Cf. imprimis de Wicliffi fautoribus, sociis et discipu-

In hisce Lollardis pietate et perseverantiâ prae caeteris eminuit Guilielmus Thorpius, ex eâdem oriundus parochiâ, in quâ natus fuit Wicliffus, quocum, uti et cum amicis ejusdem in Universitate Oxoniensi, magnam habuisse videtur familiaritatem.

Haud sane mirum est, Episcopos et reliquos clericos, Ecclesiam Pontificiam stabilire cupientes, restitisse studiis et conaminibus Wicliffitarum, qui magno jam numero illis temporibus in Anglia habebantur. Et majus quoque quotidie erat periculum, ne plures in suas traherent partes et sic tandem Papae in Ecclesiam Anglicanam auctoritatem prorsus everterent. Imprimis autem illis se opponebant fratres Mendicantes: nam hi, ut testatur Knyghtonus, »*per istorum doctrinam et exhortationem illis diebus exosi multis habebantur; et Wyclyviani, ex eo audaciores inde effecti, innitebantur avertere magis animos populorum ab eis, et ipsos impedire, ne praedicarent et ne mendicarent, asserentes, tam dantes, quam accipientes, esse excommunicatos, sed eos debere manuum labore, more Apostoli Pauli, victum et vestitum adquirere*" [1]. Propterea monachi isti, et clerici etiam alii haud pauci, nil non moliebantur, ut Wicliffi-

lis, Lewisius. p. 175—231.; Vaughanus. Vol. II. p. 150—174. Le Bas. p. 369—407. — Monumenta quaedam valde memorabilia Lollardorum nuper edita sunt Londini a societate, quae dicitur *the Religious Tract Society*, titulo: *Writings and Examinations of Brute, Thorpe, Cobham, Hilton, Pecock, Bilney, and others; with the Lantern of Light.*

[1] p. 2665.

tis invidiam conflarent apud regem et nobiles. Hinc quoque regi affirmabant, ut supra jam diximus [1], seditionem rusticorum et plebeculae, quae anno 1381 obtinuit, concitatam esse Wicliffi doctrinâ, a Lollardis per populum propagatâ. Ut autem pateat, Wicliffum ejusque socios insontes fuisse turpissimae hujus rerum perturbationis civiumque sanguinis, tunc effusi, age, quî res sese habuerit, paucis videamus. Quod autem investigare magni esse momenti ideo videtur, quoniam plures scriptores rem sic dijudicarunt, atque adeo primarium istius tumultuationis suasorem auctoremque Wicliffi fuisse socium et discipulum dixerunt.

Scilicet, qui agros colebant illis temporibus, servili erant conditione. Exardescente autem in populis Europaeis libertatis ardore, taeduit rusticos infimaeque conditionis homines servitutis et oppressionis, quâ tenebantur a nobilioribus. Haec rusticorum conditio imprimis molesta tunc in Angliâ fuisse videtur, ubi nobiles laute opulenterque vivebant, quum illi contra gravem perferebant paupertatem. Murmurabant igitur atque emancipari cupiebant. Quod libertatis desiderium promovebant viri nonnulli factiosi, seditiosa disserentes. Sic presbyter quidam e provinciâ Cantii, Johannes Balaeus dictus, in variis locis coram confluxâ multitudine frequenter de hominum libertate et aequalitate concionari solebat, ut populum adversus po-

---

[1] p. 194.

tentiores et divites sollicitaret. De eodem argumento aliquando rursus concionaturus, ita verba ad populum facere orsus est:

*Whan Adam dalfe and Eve span,*
*Who was than a gentleman?*

Quocirca Archiepiscopus Cantuariensis eum jam aliquoties in carcerem miserat. Profecto mirum non erat, si populus, sic excitatus, primâ opportunitate in seditionem prorumperet. Quod etiam accidit. Novum enim quum anno 1381 imponeretur et extraordinarium tributum per totum regnum cuique personae, quindecim annis majori, atque exactores duriter subinde et admodum inhumane suo fungerentur officio, tumultuati sunt primum incolae pagi cujusdam in Essexiâ. Captis cujuscunque generis armis et accrescente turbâ, tumultuose proruebant, ac perbrevi insurgebant rustici et plebecula in provinciis Cantio, Herefordiâ, Surriâ, Sussexiâ, Suffolciâ, Norfolciâ et Cantabrigiâ. Insano agitati furore, ubivis petulantiae vestigia in itinere relinquentes, sociosque audacissimos et maxime vesanos duces habentes[1], e quorum numero

[1] Johannes Goverus, celeber hoc aevo poëta, nomina ducum et praefectorum illius seditionis in carmine: *Vox clamantis*, posteris valde ridicule sic prodidit:

*Watte vocat, cui Thomas venit, neque Symme retardat,*
*Bitteque, Gibbe, simul Hykke, venire jubent.*
*Colle furit, quem Gibbe juvat, nocumenta parantes,*
*Cum quibus ad damnum Wille coire vovit.*
*Grigge rapit, dum Daive strepit, comes est quibus Hobbe*
*Lorkin, et in medio non minor esse putat.*
*Hudde ferit, quos Judde terit, dum Tibbe juvatur*
*Jakke domosque viros vellit, et ense necat.* etc.

Vid. Henry. Vol. IV. cap. IV. §. 2. p. 468.

Johannes Balaeus quoque fuit, quem turba custodiâ liberaverat, tandem in unum se conjungebant locum prope Londinum. Centies mille numero fuisse dicuntur. Hinc regi annuntiatum miserunt, se velle indagare regni proditores suosque oppressores, nullumque se amplius tributum esse daturos, nisi quintam decimam, quam etiam patres ipsorum tantummodo solverant. Postulabant praeterea, ut manumitterentur, et, agros a dominis conducentes, in posterum tanquam villici haberentur, utque fructus ad fora invehere absque vectigali sibi liceret. Postquam pars quaedam seditiosorum in urbem irruerat, partim vi, partim ope vulgi Londinensis, (nam cohors quaedam Catilinaria, magnatum divitiis inhians, se adjunxerat rusticis), pavor omnium occupavit animos, et rex se recepit cum nobilibus multis in urbis castellum. Seditiosi vero ferro ignique urbi minitabantur, nobiles, quoscunque capere poterant, trucidabant, saeviebant imprimis in eos, qui agere causas jusque dicere solebant, horreaque divitum mercatorum diripiebant. Jam vero rex egressus est ad multitudinem, quae extra urbem erat congregata, eique chartam tradi jussit, quâ privilegia, quanquam vi ipsi expressa, rusticis irrogabantur. Hi tunc quieverunt et magnam partem domum redierunt. Sed reliqua turba gladio invadebat in Archiepiscopum Simonem Sudburium, regni tunc temporis Cancellarium, et crudelissime obtruncabat venerabilem hunc antistitem. Tandem regis Richardi praesentiâ animi et juvenili audaciâ, uno interemto coryphaeo, istorum quoque seditio exstincta est; brevique post reliqui

duces poenas commeritas luerunt, et privilegia, a rege invite concessa, deinceps irrita declaravit Parliamentum, ita ut conditio rusticorum servilis manserit [1].

Quod autem ad hujus seditionis attinet auctores, primarium ex his fuisse Johannem Balaeum, *Wicliffi praecursorem, prouti Johannes Baptista Christi fuerat prodromus*, dicit Knyghtonus. Multos opinatos esse, refert Walsinghamus, hanc seditionem fuisse concitatam erroribus, a Wicliffo ejusque sociis late diffusis, neque per Episcopos satis damnatis. Alios aliam quaesivisse causam, idem scribit. *Mihi quoque*, inquit, *videtur tempora mala non tamen istis imputanda, sed generaliter cunctorum habitatorum terrae peccatis, inclusive ordines sumendo Mendicantium.* Dicit contra alibi, »*Johannem Balaeum docuisse perversa dogmata perfidi Johannis Wicklef.*" Quam opinionem avide amplexus Antonius Varillasius, scripsit, Wicliffum, homines legum vinculo liberare, et aequalitatem bonorumque communionem in societatem civilem inducere propositum sibi habentem, lubenter in suam admisisse disciplinam Johannem istum Balaeum eumque ablegasse, ut placita ipsius per populum propagaret [2]. Plures scriptores

---

[1] Knyghton. p. 2633—2644.; Walsingham. *Hist. Angl.* p. 247—278; Froissart. II. p. 122—132; Rymer. Vol. III. P. III. pag. 124; Hume. cap. 17; Hallam. Vol. III. pag. 254—271.

[2] In *Hist. du Wiclefianisme, ou de la doctrine de Wiclef, Jean Hus, et Jerôme de Prague.* Lugd. 1682. 12°. P. I. p. 38 sqq. Quanquam autem hic libellus nomen auctoris non professus est, ac Varillasius se eum scripsisse negavit, ta-

Romano-catholici ita judicarunt [1]; Lingardus, quanquam egregie caeteroquin de hujus tumultuationis causâ statuisse videtur [2], in Wicliffi tamen ejusque sociorum detrimentum dixit, populum hujus placitis horumque operâ inflammatum fuisse in magistratus, in nobiles, in clericos, atque sic tandem eo pervenisse, ut fas omne et jus abrumperet [3].

Quam vero iniquum sit, ita statuere, perspiciet fa-

---

men Critici illâ aetate haud immerito contenderunt, Varillasium ejus auctorem fuisse. Etenim eaedem res, quae in illo occurrunt, eâdem ratione eodemque fere stilo tractantur in Lib. I. operis, quod a Varillasio scriptum esse constat, *Hist. des Révolutions, arrivées dans l'Europe en matière de Religion, depuis 1374—1650.* Hocce opus partim tantum edidit, ad annum 1569, 6 Voll. 4o.; caetera vero, ab an. 1569 ad 1650, MS. nunquam typis mandata sunt. — Historiographus ille Gallus, natus 1624, † 1696, scriptis suis ad tempus inclarescebat: brevi autem Critici perspiciebant, quantopere rerum gestarum chronologiam perturbaret quamque crassos pariter atque ineptos committeret errores; quod de opere, modo laudato, imprimis affirmamus. Ipse quoque de suâ conscribendae historiae ratione ita judicasse dicitur: *que son dessein n'étoit pas d'écrire de véritables histoires, mais d'amuser le monde par une espèce de Romans et de pièces, capables d'émouvoir les passions.* Cf. J. Le Long, *Bibl. Hist. de France.* p. 978 sqq.

1 Ex. g. Harpsfeldius, *Hist. Wicl.* cap. XII. (in *Hist. Angl. Eccl.* p. 703—707.), e quo Varillasius hausit. — Ludovicus Maimburgius, e societate Jesu, qui eodem aevo atque Varillasius floruit et apprime bene cum eo convenit, tum de seditionis in Angliâ causâ, tum universe de rebus Wicliffi, in op. *Hist. du grand Schisme d'Occident (suivant la Copie imprimée à Paris. 12o.)* Lib. II. p. 177 sqq. Cf. de hoc scriptore *Le grand Dict. Hist. de* L. Moreri, in voce, et Bayle, *Dict.* in voce. — Johannem Balaeum, nec discipulum, nec socium Wicliffi fuisse, egregie jam probabat Mathias Parkerus, in *Antiq. Brit. Eccl.* p. 258 sqq.

2 Vol. IV. p. 195. — 3 Vol. IV. p. 196 et p. 213.

cile, qui, ab omni partium studio alienus, in res illorum temporum diligenter inquirere velit. Nam, quae Wicliffi et Lollardorum adversarii circa hanc rem effutiverunt, omni haec carent probabilitate et testimonio, ac potius censenda sunt propriae illorum scriptorum opiniones [1]. Si reapse vel Wicliffus, vel socii ejus, aliquatenus motus popularis conscii fuissent, mirum profecto, in horum patronum atque amicum, Ducem Lancastriae, qui apud Scotos tunc ad negotium publicum agendum aberat, adeo furore aestuasse vulgus, ut magnificum ejus palatium Londini incendio devastarit: mirum est, tumultuatos, in communi reliquorum clericorum interfectione, acerrimis Wicliffi adversariis parcere propositum sibi habuisse, quod confessione cujusdam ex ducibus eorum patet [2]. Quodsi praeter illos seditionis coryphaeos, quorum nomina historia servavit, exstiterint alii insuper populo frementi suasores auctoresque, potius, Walsinghami secutus

---

[1] Animadvertendum est, Froissartum, hunc describentem motum in Angliâ popularem, nec Wicliffi, neque alicujus ex sociis ejus, commemorasse nomen; cujus silentium propterea haud parvi esse momenti duco, quia eodem ille, atque Wicliffus, saeculo floruit (natus Valentianis circa annum 1333), et, multum peregrinatus, ut posteris verissimam rerum hoc aevo Gallos inter et Anglos gestarum memoriam proderet, brevi post hanc rusticorum seditionem ipse in Angliâ versatus fuit. *J'en parleray*, inquit, *selon ce qui en fut fait, et que de l'incidence je fu adonc informé.* II. p. 122.

[2] „*Postremo* (sic fassus est Jack Straw) *regem occidissemus et cunctos possessionatos, Episcopos, monachos, canonicos, rectores insuper Ecclesiarum de terrâ delevissemus. Soli Mendicantes vixissent super terram, qui suffecissent pro sacris celebrandis aut conferendis universae terrae.*" Apud Walsinghamum. *Hist. Angl.* p. 265.

conjecturam, de fratrum Mendicantium indole mali quid suspicarer, quam de Wicliffi doctrinâ vel ingenio. Eum enim cognovimus, tanquam virum patriae amantissimum, et penitus imbutum placitis illius religionis, quae praecipue commendat justitiam, aequitatem, temperantiam, modestiam et mutuum amorem. Atque eadem illa praecepta, quae religiosissime observare ipse studebat, populo eum dedisse quoque, scripta viri satis superque testantur[1]. Qui in Wicliffi igitur doctrinâ causam istius seditionis hodieque quaerunt, hos rogatos velim, ut nobis explicent, quî tandem factum sit, ut, et in Angliâ, et in Galliâ, rustici, et populus in Flandriâ, tam vehementer eodem saeculo rebellarint. Nos autem Hallamo plane assentimur, ubi ait, seditionem, anno 1381 in Angliâ a rusticis commotam, non magis detrectare de famâ Wicliffi, quam flagitia Anabaptistarum e dioecesi Monasteriensi

---

[1] Patet hoc imprimis ex parvo libello, in commodum cujusvis hominum classis vernaculâ linguâ a Wicliffo edito, titulo: *A short Rule of Life. For each man in general, and for priests, and Lords, and labourers, in particular, how each shall be saved in his degree.* Inibi dicit: »*Besides this, look thou do right and equity to all men, thy superiors, equals, and subjects or servants; and stir all to love truth, and mercy, and true peace, and charity; and suffer no men to be at dissension, but accord them if thou canst in any good manner. —— If thou art a labourer, live in meekness, and truly and willingly do thy labour. —— And serve not christian Lords with grudgings; not only in their presence, but truly and willingly, and in absence. — For God that putteth thee in such service, knoweth, what state is best for thee.*" Vid. op. saepius jam laud: *Writings of John Wickliff*, p. 150 et 151. — Cf. etiam Lewis. p 179.

de laudibus Lutheri [1]. Postremo tenendum est, ipsos Anglos, qui illis temporibus Domum inferiorem constituebant, minime arbitratos esse, culpam seditionis residere in Wicliffo, vel ejus sociis, uti apparet ex iis, quae in Parliamento, anno insequenti convocato, dicta fuere [2].

---

Postquam exploravimus satis, quamnam vim Wicliffus hoc tempore in Angliam habuerit, revertamur jam Luterovortum, ut videamus, quomodo illic per biennium circiter, quod etiam vixit, functus sit munere suo Ecclesiastico, et occupatus fuerit in promovendâ causâ, quam huc usque fortiter et satis prospere egerat.

Officio rectoris hujus parochiae non minus aptus fuisse videtur, quam professoris theologiae muneri gravissimo. Eâdem enim cum facilitate et voluptate simplices et indoctos rusticanos instituebat et admone-

---

1 Vol. III. p. 266. not.

2 » In the fifth year of the King *the Commons complained of the government about the King's person, his Court, the excessive number of his servants, of the abuses in the Chancery, King's Bench, common Pleas, Exchequer, and of grievous oppressions in the country, by the great multitudes of maintainers of quarrels* (men linked in confederacies together), *who behaved themselves like Kings in the country, so as there was very little law or right, and of the other things, which they said were the cause of the late commotions under Wat Tyler.*" Parl. Hist. Vol. I. p 365. Apud Humium, cap. 17. (Vol. III. p. 183. not.)

bat, quâ summos solebat illâ aetate doctores in tradendâ theologicâ disciplinâ aemulari. Quaenam existimaret esse officia doctorum et antistitum in Ecclesiâ Christianâ, indicavit in pluribus scriptis, potissimum vero in iis, quae hac vitae aetate in lucem emisit, nempe: *Of Prelates*, sive de Praelatis et eorum officio, *Of the order of Priesthood*, sive de clericorum ordinatione, et, *How the office of Curates is ordained of God*, sive de 33 erroribus Curatorum [1]. In hisce Wicliffus, universe clericorum errores et vitia detestanda exponens, eorumque damnans negligentiam, ex quâ gravissima, tam laicis, quam ipsis, enascebantur mala, descripsit simul germanum doctorem et antistitem in societate Christianâ, ad quem informandum adhibuit maxime Jesu et Apostolorum exemplum. Omnem aversatus pompam omnesque res superstitiosas in Ecclesiâ Romanâ, cultum sacrum ratione admodum simplici peragi voluit. Ferventes ad Deum fundere preces, Numinis divini celebrare majestatem, infinitas virtutes, gratuitum imprimis erga hominem amorem,

---

1 Exstant opuscula haecce, Anglice scripta, in Bibl. C. C. C. Cantabr. cf. Vaughan. Vol. II. p. 204, 205. Illud, quod titulum habet: *How the office of Curates is ordained of God*, breviatum typis expressum est in: *Writings of John Wickliff*. p. 123—137. *Curati* nomine significatur quivis minister Ecclesiae, cui animarum cura commissa est. Curatorum officium a Deo esse institutum, dixit in hocce libello: paucissimos autem bene illo fungi, pessime vero plurimos. Quocirca exploravit eorum vitia, et, prouti alias in fratres Mendicantes invehi solebat, sic nunc clericos saeculares acerbissime perstrinxit, quos suo tempore majorem partem pestes esse societatis humanae affirmavit.

admonere errantes, excitare ignavos, consolari moestos, semet ipsos vero probitate morumque honestate praecipue commendare, hoc esse antistitum censebat. Summum autem in doctore Christiano, de ejus sententiâ, erat, si assidue et fideliter laicis annuntiaret Euangelium. Nam praeclarum illâ in re exemplum ad imitandum praebuisse Apostolos, atque his ipsum Jesum praeivisse dicebat [1]. Neque ei quidquam praestabilius videbatur, quam posse hominibus Codicem sacrum interpretari [2]. Erat illud potissimum, quo Wicliffus ejusque socii et discipuli se distinguebant a caeteris clericis, quod, celebrantes cultum sacrum, non in Ecclesiae ritibus et formulis, quibus nescio quid puerilis inerat, acquiescebant, sed quod laicos edocere, mentes excolere, voluntates impellere, et semina quasi virtutum animis inserere, quacunque solebant opportunitate [3].

---

[1] *The Gospel telleth us* (sic dicebat) *the duty which falls to all the disciples of Christ, and also telleth us, how priests, both high and low, should occupy themselves in the church of God and in serving him. And first, Jesus himself did indeed the lessons which he taught. — It was ever the manner of Jesus to speak the words of God, wherever he knew, that they would be profitable to others who heard them: and hence Christ often preached, now at meat, and now at supper, and indeed at whatever time it was convenient for others to hear him. — Writings.* etc. p. 24. — [2] Vid. Vaughan. Vol. II. p. 14 sq.

[3] Wicliffus de moribus et vivendi ratione ministri, ad quem cura animarum pertinet, ita scripsit: » *If thou art a priest, and especially a curate, live thou holily, surpassing other men in holy prayer, desire, and thinking, in holy speaking, counselling, and true teaching. — That thy deeds be so rightful, that no man shall blame them with reason,*

Quae autem Wicliffus aliis clericis praescribebat officia, haec religiosissime ipse colebat. Ex iis, quae de vitâ et ingenio Wicliffi ad posteritatem verbo transmissa sunt, et quorum fama hodieque per Luterovorti oppidulum vulgari dicitur, illa traditio satis certa esse videtur, eximie eum functum fuisse munere rectoris hujus parochiae, quum singulis diebus tempus matutinum impenderet officiis pastoralibus, succurrens egenis, invisens aegrotos, afferens religionis solatium hominibus provectis aetate, vel moribundis [1]. Tum vero

---

*but that thy open deeds be a true book to all subjects and unlearned men, to serve God and do his commands thereby. For example of good life, open and lasting, more stirreth rude men, than true preaching by word only. And waste not thy goods in great feasts of rich men, but live a humble life, of poor men's alms and goods, both in meat, and drink, and clothes, and the remainder give truly to poor men, that have not of their own, and may not labour for feebleness or sikness, and thus thou shalt be a true priest both to God and man."* in libello: *A short Rule of Life.*

[1] Cf. Vaughan. Vol. II. p. 337. — Chaucerus poëmate pulcro depinxit presbyterum quendam ruralem, quem cum adumbrabat, ob oculos eum habuisse Wicliffum, multi putant. Vid. *Writings of John Wickliff*, etc. p. 137. Nonnulla ex eo apponere juvat.

*A good man there was of religion,*
*He was a poor parson of a town,*
*But rich he was of holy thought and work,*
*He was a learned man, also a clerk,*
*That Christ's Gospel truly would preach,*
*His parishioners devoutly would he teach.*
*Benign he was, and wondrous diligent,*
*And in adversity full patient.*

— — — — — — — — —

*Wide was his parish, and houses far asunder,*
*But he ne'er left, neither for rain nor thunder,*

etiam Wicliffus consuevit coetum Luterovortanum saepenumero dicendo tenere de Ecclesiae reformatione perquam necessariâ, cum morum et regiminis, tum doctrinae et sacrorum habitâ ratione. Et quoties de hoc argumento, datâ operâ, verba faciebat, vel quoties epistolas Apostolicas et Euangelistarum monumenta de vitâ Jesu ejusque discipulorum aliudve scriptum e Codice sacro exponebat, toties ad auditorum se accommodabat intelligentiam, atque dicebat perspicue et magnâ cum vi: quod ex orationibus ejus sacris, quarum magnus adhuc exstat numerus, effici potest.

Nec vero minus Wicliffus, quum Luterovorti habitabat, tempus et studium impendit ad rem afflictam Christianam scriptis suis excitandam atque instaurandam. Plura hoc temporis spatio opuscula ab eo esse composita, probari potest argumentis, ex his ipsis petitis. Respicitur enim in iis, quae nunc significamus, scriptis ad tempora praeterita, resque memorantur, quae vel ante annum 1382 acciderant, vel postea demum evenerunt[1]. Imprimis frequens mentio in illis

*In sickness, nor in mischief, for to visit*
*The furthest in his parish, great or light,*
*Upon his feet, and in his hand a staff.*
— — — — — — — — — —
*A better priest I trow, no were there is,*
*He waited after no pomp nor reverence,*
*He made himself no spiced conscience,*
*But Christ's lore, and his Apostles twelve*
*He taught, but first he followed it himself.*

[1] Horum nonnulla a Wicliffo jam edita fuisse ante annum 1378, statuit Lewisius. Sed maximam habemus gratiam Vaughano, qui summâ, qua solet, sagacitate probavit, emissa illa in lu-

injicitur de expeditione quâdam Episcopi Norvicensis in Flandriam, quae quidem res magnam vim in Wicliffi hac vitae aetate de Ecclesiâ sentiendi cogitandique rationem habuisse videtur. Quapropter, cujusmodi fuerit haec expeditio, quae anno 1383 locum habuit, jam exploremus.

Quum Papa Avenionensis et Romanus sibi invicem infensissimus esset, uterque nil non moliebatur, ut alter alterum de sede dejiceret. Belli idcirco durissimi, quod Anglos inter et Gallos gerebatur atque prorogabatur utrinque, usi sunt opportunitate ad sibi mutuo nocendum. Prouti potissimum rex Galliae, Carolus VI, qui tunc in tutelâ erat Philippi, Ducis Burgundiae, et Johannis, Ducis Biturigum, tuebatur Clementem VII, sic rex Angliae iis praeibat regibus et principibus in Europâ, qui Urbano VI patrocinabantur. Jam Urbanus, Genuae commorans, patrono Clementis incommodare in animum induxit. Excitabat igitur Anglos ad suscipiendam expeditionem contra Clementinos, qui dicebantur, et mittebat Angliae Episcopis diplomata indulgentiarum bene multa, quae omnibus, quotquot illam susciperent, plenam darent peccatorum remissionem. Hoc autem negotium Urbanus adversario suo facessebat jure talionis [1]. Ne

---

cem demum fuisse post a. 1382. vid. Vol. I. p. 381. not. 9. Est autem haec correctio magni momenti, quandoquidem ex scriptis, quae Wicliffum extremâ vitae aetate composuisse hodie constat, apparet, quomodo progressus sit in divulgandis placitis de religione sanioribus.

[1] Vid. Froissart, op. laud. II. p. 216.

vero respublica in hanc expeditionem impenderet pecuniam, quâ opus erat [1], concedebat idem, ut rex per totum regnum ab Ecclesiis decimas exigeret; attamen a rege vicissim impetrabat, ut Episcopus Norvicensis, Henricus Spencerus, praeficeretur expeditioni, quippe quae erat sacra quaedam. Spencerus ille erat vir admodum bellicosus; quam indolem martialem ostendit, ubi ad seditionem rusticorum, a nobis jam memoratam, fortiter comprimendam in Norfolciae provinciâ adjuvit [2]. Wicliffo quoque et universe Wicliffitis semper inimicum se praestitit [3]. Dux belli igitur creatus, populum omnibus modis, eloquentiâ, promissis, excitavit, atque cum ipse, tum per rectores et vicarios,

---

[1] Pulcre ait Froissartus: *Car bien savoit que les nobles d'Angleterre pour toutes ses absolutions ne chevaucheroyent point, se l'argent n'alloit devant, car les gens d'armes ne vivent pas de pardons, n'ils n'en font point trop grand compte, fors au destroit de la mort.* ibid.

[2] Ex descriptione, quam dedit Walsinghamus de Spencero, hac opportunitate intrepide pugnante cum tumultuatis Norfolcianis, egregie virum huncce bellicosum cognoscere possumus. » Ipse, (ait ille), arreptâ dexterâ manu lanceâ, urget cornipedem acutis calcaribus, et tantâ animositate, tantâ audaciâ effertur in eos, ut cursu velocissimo fossam praeoccuparet citatior sagittis suis. — Antistes ergo belliger, velut aper frendens dentibus, sibi nec hostibus suis parcens, ubi manus conspicit esse periculum, dirigit robur suum, hunc perforando, illum dejiciendo, alium vulnerando," etc. *Hist. Angl.* p. 264.

[3] Interfuit scilicet synodo Oxoniensi, in quo sub finem anni 1382 Wicliffus se sistebat. Vid. supra, pag. 206. Sepulcro ejus suffixum erat epitaphium, cujus verba quaedam ita se habent:

*Et pugil Ecclesiae,*
*Lollardi mores damnavit deteriores.*

Vid. vita Henrici Le Spenser, auctore Joh. Capgravio, in: Whartoni *Angl. Sacra.* Vol. II. p. 359—361.

ad arma conclamavit permultos Equites, et Anglos, et Vascones, quin etiam clericos[1]. Collegit insuper multam pecuniam, quam matronae Anglicae largiter imprimis dedisse feruntur[2]. »Habuit namque praedictus Episcopus, inquit Knyghtonus, indulgentias mirabiles cum absolutione a poenâ et a culpâ, pro dictâ cruciatâ a Papa Urbano VI ei concessas: cujus auctoritate, tam mortuos, quam vivos, ex quorum parte contributio sufficiens fiebat, per se et suos commissarios a poenâ et culpâ absolvebat. Dicebatur enim, quod quidam de commissariis suis asserebant, quod ad eorum praeceptum Angeli de coelo descenderent, et animas, in purgatoriis locis positas, de poenis eriperent, et ad coelos absque morâ deducerent" [3]. Neque tamen universa gens Anglica hanc expeditionem comprobabat, uti satis patet e Parliamenti, congregati diebus quadragesimalibus hujus anni, deliberatione de potestate concessâ Episcopo Norvicensi; »pars adversa repugnabat, asserens, non esse tutum, committere plebem regis et regni presbytero inexperto" [4].

Antequam exercitus profectus est, rex duces jurare fecit, eos bellum unice gesturos esse adversus Clementinos, et, classe Caletum appulsâ, eos mansuros illic per mensem, donec Guilielmus de Bello Campo, dux fortissimus in bello, advenisset. Tempore jam verno,

---

1 Vid. Edictum, ab eo tunc promulgatum, apud Knyghtonum. p. 2673 sq. — 2 Froissart. II. p. 217.

3 p. 2671. — Apud Walsinghamum videre licet, sub quânam *formâ* absolutio tunc dari solebat. *Hist. Angl.* p. 295.

4 Sunt verba Walsinghami. p. 296.

anno 1383, Episcopus cum militibus cruce signatis Caletum advehitur, ibique aliquamdiu moratur. Guilielmo vero de Bello Campo non adveniente, castra ille movere cupit atque excurrere in fines Flandrorum, qui regis Galliae potestati tunc erant subjecti [1]. Quod alii valde dissuadebant: nam erat Spencerus ad certandum melius animatus, quam paratus. Dixit ei Hugo de Calverlio, miles in armis exercitatissimus, injustum esse, irruere in ditionem Comitis Flandriae, eique bellum inferre, qui ne minimâ quidem re offenderat regem Angliae: pugnandum vero contra Clementinos, contra quos haec expeditio jussu Papae Urbani suscepta erat; cum illis bellum sibi esse, non cum Flandris, qui, uti et eorum Comes, boni esse dicebantur Urbanistae [2]. Sed Spencerus, flagrans certandi desiderio et temeritate insignis, contra hoc prudentissimum consilium, erecto sanctae crucis vexillo, egressus est. Primum urbem Gravelinam obsidione cingunt, quae expugnatur: tum Dunikerkam tendunt. Flandri interim, mirati Anglorum subitam et iniquam invasionem, iis obviam venerunt, duce Bastardo Flandriae. Nunc autem, accedentibus cominus armatis, »rectores et vicarii, quos beneficium absolutionis illexerat, periculis expositi, gustaverunt, quam dulcis sit domus propria; monachi et canonici cognoverunt, quam bona sit obedientia; fratres Mendicantes senserunt, quanto levius sit stipem postulare inter notos et in patriâ" [3].

---

[1] Froissart. II. p. 218. — [2] Ibid. — [3] Walsinghamus. *Hist. Angl.* p. 300.

Acriter tamen pugnatum est, et urbs ab Anglis occupata; quibus victoriis elatus, Episcopus Ypram obsessum ivit. Jam vero, quum Gandavenses, quibus Gallorum dominatio molesta facta erat, Anglis auxiliari vellent, rex Galliae multique illustrissimi Gallorum Duces et Equites magnâ cum armatorum copiâ Comiti Flandriae subvenerunt, et Ypram obsessione liberarunt. Quo facto, Spencerus cum exiguâ manu Gravelinam recessit; et cuncti, Caletum regressi, infectâ tandem re in Britanniae insulam autumno se receperunt, ubi omnium risu, indignatione et contemtu excepti sunt. Rex autem Galliae Flandros, recuperatis eorum oppidis, sibi submisit denuo [1].

Haec arrogantia Papae, haec injusta suscepti belli causa, haec indulgentiarum nundinatio, haec Episcopi Norvicensis aliorumque clericorum laudis bellicae cupido et officii neglectus turpissimus, ita ut Christi gregem desererent seque conjicerent in castra Martis, opportunitates fuerunt Wicliffo, ut inveheretur acerbissime in Ecclesiae corruptelam. Similiter fere accidit postea, ut diplomatum indulgentiarum nundinatio, Tetzelio a Papâ per Germaniam commissa, ansam praeberet Martino Luthero ad publice resistendum Pontifici Romano. Quantopere vero Wicliffus expeditionem illam improbaverit, intelligimus ex hisce verbis: *Facinus*, inquit, *detestabile est*, *Papam erexisse*

[1] Vid. Knyghton. pag. 2671 sqq. — Walsingham. *Hist. Angl.* pag. 291—305.; imprimis Froissart. II. pag. 216—239., qui totam rem, Herodoteo fere dixerim more, pulcerrime depinxit.

*Jesu Christi crucem, symbolum pacis, gratiae et amoris, tanquam signum, ad quod convenire jussit homines Christianos, ut fidei suae socios occiderent, et vindicarent terrestre imperium duorum pseudo-sacerdotum, qui ambo aperte Antichristum repraesentant. Quidni autem superbus iste Romanus sacerdos concedit veniam peccatorum omnibus hominibus, eo quidem proposito, ut vivant in pace, amore et clementiâ, prouti nunc iis plenam dat criminum absolutionem, ut propugnent pro ipsius causâ et caedant naturae et fidei suae socios?* Haec scripsit, interea dum bellum in Flandriâ gerebatur [1].

Hoc quoque tempore Wicliffus de industriâ renovavit contentionem cum monachis Mendicantibus, quos probe sciebat fuisse naviter occupatos in divendendis indulgentiarum diplomatibus, quae Papa largiter concesserat omnibus, qui expeditionem contra Clementinos susciperent [2]. Edidit nunc librum, quem alibi jam nomina-

[1] In opere: *The great Sentence of Curse expounded.* cap. 16. Vid. Lewis. p. 99 et Vaughan. Vol. II. p. 203 sq.

[2] Quam pessimi tunc temporis fuerint monachorum Mendicantium mores effici potest ex iis, quae Walsinghamus sub annum 1381 scripsit: » Qui suae professionis immemores, obliti sunt etiam, ad quid ipsorum ordines instituti sunt; quia pauperes et omnino expeditos a rerum temporalium possessionibus, eorum legislatores, viri sanctissimi, eos esse ideo voluerunt, ut pro dicendâ veritate non haberent, quod amittere formidarent. Sed jam possessionatis invidentes, procerum crimina approbantes, commune vulgus in errore foventes, et utrorumque peccata comedentes pro possessionibus acquirendis, qui possessionibus renuntiaverant, pro pecuniis congregandis. Qui in paupertate perseverare juraverant, dicunt bonum ma-

vimus[1], inscriptum: *Against the Orders of the Begging Friars*, in quo praecipue ejus querimoniae de istorum monachorum vitiis continentur. Exprobrat iis, quod impudenter Paparum indulgentias distribuebant, quod proditores patriae erant, quum secreta reipublicae consilia saepenumero cum hostibus communicarent, civiumque opes ad eosdem transferrent. Abhorret eorum hypocrisin et improbitatem, quippe poenitentium confessiones haud raro perfidiose aperiebant, et Literas Fraternitatis, quae vocantur, divendentes, populum misere decipiebant[2]. In alio scripto exiguo, *De Hypocritarum imposturis*, commentabatur verba illa, quae Jesus discipulis suis dixit: ὁρᾶτε καὶ προς-

lum et malum bonum, seducentes principes adulationibus, plebem mendaciis, et utrosque secum in devium pertrahentes." *Hist. Angl.* p. 266. — In Galliâ etiam illis circiter temporibus (1384) gravissimae lites sunt agitatae Universitatem Parisinam inter et ordinem Dominicanorum, quarum auctor fuit Dominicanus Johannes de Montesono, theologiae doctor. Cf. Mosheim. Vol. V. p. 344 sq.

[1] Vid. supra, p. 72. Quae ex hoc opusculo Lewisius memoravit, valde imperfecta esse dicit Vaughanus. Vol. I. p. 270. not. 9.

[2] In ejusmodi literis, quae subtiliter exaratae erant, characteribus aureis et filis sericis ornatae sigilloque collegii fratrum signatae, expresse erat scriptum, eos, quibus illae concedebantur (id est, datâ pecuniâ, divendebantur), participes fore actuum religiosorum, missarum, vigiliarum, et quaecunque peragebat praeterea sanctus ordo, item omnium fratrum meritorum, et dum vivebant, et post mortem. De hoc argumento disserens Phronesis in Wicliffi *Trialogo*, ait: *Quicquid fratres concedunt homini, Deus illud prius concedit. — Scimus tamen, quod Deus non potest culpam peccatoris dimittere, nisi veraciter sit contritus. Quae ergo est illa secta, quae tantum extollitur super Deum?* vid. Lib. IV. cap. 30 et 31.

*ἔχετε ἀπὸ τῆς ζύμης τῶν Φαρισαίων καὶ Σαδδουκαίων.* (Matth. XVI. 6.), eo nempe proposito, ut indicaret, quantopere Franciscani et Dominicani similes essent Pharisaeorum. Simul deplorabat ignaviam eorum hominum, qui, quanquam Christi se discipulos vocabant, metu doloris aut mortis abstinebant palam facere veritatem legis divinae. His vero in memoriam revocabat Christi dictum: »*ne timete eos, qui corpus trucidant, animam vero trucidare nequeunt; timete eum potius, qui cum animam, tum corpus, perdere potest in gehennâ,*" eosque erigebat, si vexarentur ab hominibus, commemorando curam Patris coelestis permagnam, qui capillos capitis nostri in numerato habet, apud quem ne unus quidem passerculus in oblivione est [1], et recitando illam Christi promissionem: »*quicunque professus fuerit coram hominibus, me esse Messiam, hunc quoque se cognovisse Filius hominis profitebitur coram Dei Angelis*" [2].

Ita Wicliffus extremâ vitae aetate cum alios adhortari solebat, ut perseverarent in tuendâ veritate et aequam meminissent rebus in arduis servare mentem, tum semet ipsum simul praeparabat ad dirissima quaeque fortiter perpetienda, si ipsi triste instaret fatum; quod luculenter etiam apparet ex orationibus sacris,

---

[1] *For thus* (ait) *should they learn to believe, that nothing comes without his knowledge and his ordaining, and that it is all for the best.*

[2] MS. Anglice. C. C. C. Cantabr. cf. Vaughan. Vol. II. pag. 199—202, et p. 385.

quas post annum 1382 coram coetu Luterovortano habuit. Lubet igitur, ad pernoscendam viri indolem generosam et firmam, unum alterumve ex illis specimen dare. » Christus (sic aliquando dicebat) nostri certaminis imperator est, regnans universo mundo, quippe qui Dominus est Dominorum. Et quandoquidem superavit illum adversarium, qui dux est exercitus nostrorum inimicorum, potest propriâ virtute omnes vincere, qui ipsius militibus adversantur. Propterea decet milites Christi bono esse animo, ut strenue pro eo pugnent: propterea quoque Apostolus Paulus fideles obsecrat, ut Dei induant armaturam. — Et profecto plus animam, quam corpus, amare homo debet; prae omnibus vero debet diligere Deum atque hujus legem. Quicunque autem sic amat, ille paratus est ad obeundam corporis mortem ob amorem, quo Deum prosequitur" [1]. Prouti hoc modo socios suos et discipulos omnesque vere Christianos admonebat, ut spem et fiduciam in Christo unice reponerent, sic alio tempore eosdem non celabat aerumnas et pericula, quae iis imminebant a vindicibus Hierarchiae Romanae. Et prudenter ita egisse videtur. Qui enim illis temporibus se unice tradebant Codici sacro, spretis traditionibus et figmentis Ecclesiae, ac populo scripta sacra libere interpretabantur, his instabant dira quaeque. Quot, eheu! pericula deinceps Wicliffitae sustinuerunt, quot angoribus con-

---

[1] Vid. apud Vaughanum. Vol. II. p. 215. — Ratio illius aevi equestris et militaris vim imprimis exseruisse videtur in scribendi loquendique modum Wicliffi: saepius enim in scriptis ejus a bello et militiâ imagines ducuntur.

fecti sunt, quot cruciatibus afflicti! Haec mala, quae praëvidebat Wicliffus, comparare solebat cum sorte, quam et Christus et Apostoli a sacerdotibus Judaeorum experti erant [1]. »Qui autem audax est, ait, martyrium subire, is facile dignoscitur: quippe contradicit quâcunque opportunitate iis sacerdotibus, qui multa induxerunt mendacia et blasphemias, et aditum

---

[1] *They shall put them* (ait) *into holds falsely, and shall punish them many ways. And often shall they draw them to kings, and to justices who are mighty in this world, and thus for Christ shall they be punished.* Apud Vaughanum. Vol. II. p. 216. — Item de sociis suis et de omnibus, qui Codicem sacrum antea habuerant vel habituri erant deinceps unicam fidei normam, non in patriâ tantum suâ, sed in toto orbe Christiano, dixit haec: *They — are put out of churches; and are parted in prisons from other men of the world; and in all these states they suffer reproofs. But if they are certain from the matter of their belief, that in all this they suffer for the cause of their God, they may be blessed and joyful in hope of their end; even as a sick man will gladly suffer pain, when he hopeth thereby to come to health. — They are summoned and reproved in many ways, and are after put in prison, and burnt or killed, as though worse than thieves. And the masters in this persecuting, are priests, high and low, and mostly friars; as Christ was persecuted by Cajaphas and other priests, but especially by the pharisees. To all thus persecuted, this Gospel is a comfort; for as certainly as traditions made beside the law of God by priests, and scribes, and pharisees, blinded them in that law, and made it despised — so it is now, by the new laws of men called decretals and decrees, — but a remedy against this abuse, and the used of many men, is to despise all such laws when they are alleged; and to say unto men who allege them, that their honesty is more suspected for their citing of such laws, since God's law telleth all truth that is needful to man.* Apud Vaughanum. Vol. II. p. 219 sq.

ad verae scientiae fontem intercluserunt suaque pro libris divinis substituerunt decreta et traditiones."

De suâ vero ipsius morte saepissime meditatus esse videtur. Neque hanc metuebat; unam tantum rem homini Christiano metuendam esse censebat, deserere scilicet officia sua. Caeterum, ajebat, qui in virtute constans est, hunc ne totus quidem mundus vincere potest. Idcirco in nullis non colendis officiis, quae sua esse ducèbat, erat religiosissimus. »Quemvis hominem, inquit, decet, praesertim autem presbyterum, respicere vitam transactam, utrum eam direxerit ad normam legis divinae, an vero ad consilia ejus, qui hominibus insidiari solet. Et hanc sibi quotidie reddere unusquisque debet rationem: nam dictum illud, multorum beatorum sermone tritum, verissimum est, Deum nos esse interrogaturum, quomodo singulos, quos ad vivendum nobis concesserit, temporis articulos transegerimus, utrum bene, an male [1]. Hanc unusquisque metuat oportet de vitâ suâ responsionem, imprimis vero presbyter, quum hujus officium pluribus periculis junctum sit. — Praescripta autem sunt in Euangelio, quanquam alii id dissimulant, officia presbyteri: oportet hunc sapienter oves suas pascere sano

---

[1] Similiter alibi dicebat: *In the end of the day think where in thou hast offended God, and how much and how oft, and therefore have entire sorrow, and amend it while thou mayest.* in libello: *A short Rule of Life.* Pythagoraeorum illud: *Πῆ παρέβην; Τί δ' ἔρεξα; Τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη;* hîc nobis sponte succurrit.

legis divinae alimento easque tueri contra lupos, quin etiam vitam pro ovibus ponere, si necesse est [1].

Illum igitur virum, qui sic monebat, paratum fuisse vitam impendere vero, affirmare licet. Si autem quis, audiens hocce triste dicendi genus, sibi videri Wicliffum hac vitae aetate laborasse quâdam animi intemperie dicat, huic reponam, de quo jam monuimus, fuisse illa tempora reapse admodum periculosa omnibus, quotquot intrepide se opponebant impietati et tyrannidi Ecclesiae Romanae; quod etiam Wicliffus probe sciebat. Scripsit enim in *Trialogo*, prosperitati ipsius saepe obfuisse, quod libere sententiam suam protulerat, et fratres Mendicantes aliosque, qui Christianos se esse simulabant, multis modis mortem ipsi machinari, quia veritatis testem integrum et incorruptum semper se praestare studebat [2]. Quid ergo mirum, si quid praesagiens in animo haberet? Et tamen aliter evenit; nam istis insidiis morte ereptus subitâ est, die ultimo anni 1384.

Infirmâ scilicet valetudine (per duos enim annos ante mortem paralyticus fuisse dicitur) impediebatur, quominus solus officio rectoris fungeretur. Habuisse propterea adjutorem, Johannem Purvaeum videtur [3], quem Knyghtonus capellanum dixit, praeterea de ejus cum Wicliffo consuetudine haecce memorans: *Doctrinam magistri sui Johannis Wyclyf*

---

[1] Apud Vaughanum. Vol. II. p. 221.
[2] Lib. IV. cap. 4 et 17. — [3] Vid. de eo supra, pag. 192.

*per omnia et in omnibus executor pervalidus intrepide roboravit; nam magistri sui, dum adhuc viveret, commensalis extiterat, et sic magis de ejus documentis ebriatus copiosius mente hauserat, atque, usque ad mortis metas comes individuus, ipsum cum doctrinis et opinionibus suis concomitabatur indefesse laborans* [1]. Quum autem Wicliffus, die 29 Decembris, qui memoriae divi Thomae à Becket, Cantuariensis quondam Archiepiscopi, erat dicatus, Missae celebrationem audiebat, ad hostiae elevationem, subito paralysi vehementer percussus decidit, ita ut lingua ei haereret; neque deinceps per biduum, quod spiritum etiam duxit, amplius locutus est [2]. Vertente igitur anno, ad metam quoque vitae terrestris pervenerat mag-

---

[1] p. 2660.

[2] Haec Thomas Vasconius memoriae prodidit. Exstat nempe MS. in Collectione Cottonianâ, titulo: *Narratio de morte subitaneâ Joannis Wyclyffe, scripta propriâ manu Thomae Gascoigne*, in quo hicce testatur, se rem de Wicliffi morte accepisse a Johanne Hornio, quem per biennium una cum Wicliffo sacerdotem parochialem, et, quo tempore rem ipsi narrabat, octogenarium fuisse dicit; *et mihi juravit*, inquit Vasconius, *sic dicendo: » Sicut respondebo coram Deo, novi ista fuisse vera, et, quia vidi, testimonium perhibui."* In fine hujus narrationis haec, manu Vasconii scripta, leguntur: *Hoc ille dixit mihi doctori Gasco-igno, anno Domini 1443.* vid. apud Lewisium. p. 286. N°. XIX. * * — Vasconius ille, patriâ Eboracensis, natus est anno 1403. † 1457. Fuit doctor theologiae in Universitate Oxoniensi. Cf. Wood. Lib. II. pag. 106. In testimonio Vasconii Wicliffus paralysi percussus esse dicitur die *Sanctorum Innocentium*, qui praecedebat diem festum Thomae à Becket. Alii vero hunc diem (29 Dec.) memorarunt. Vid. Vaughan. Vol. II. p. 225. not. 38.

nus ille vir, inque beatas beatorum sedes abierat, ubi benignus Judex certaminis ei praemium erat condonaturus.

---

Quanta Wicliffi adversariis laetitia oborta fuerit, postquam hujus obitus fama exierat, facile intelligitur. Benedictinus ille sancti Albani, Walsinghamus, suâ etiam aetate (medio circiter saeculo XV) gaudio exsultasse videtur, ubi mortem ejus commemorabat in Annalibus, quas scripsit, Angliae: ideoque piis viri manibus contumeliosissime parentavit [1]. Sed quam fuit hoc luctuosum ejus amicis et discipulis, quam acerbum omnibus in Angliâ, qui desiderabant sacrorum emendationem, quam grave universae rei Christianae saluti! Et tamen Wicliffo mors donata esse videtur. Nam ii casus Ecclesiam quoque Anglicanam mox secuti sunt, ut omnes, quotquot odioso haereticorum nomine notarentur, aut placita sua ejurare seque humiliter Pontifici Romano submittere cogerentur, aut perseverantiae et invictae fortitudinis poenas expenderent crudelissimas. Atque, postquam Thomas Arundelius, Archiepiscopus Cantuariensis, saepius jam plures Wicliffi sententias damnaverat ejusque libros flammis tradiderat, tandem Hierarchiae vindices, in sessione octavâ

---

1 *Hist. Angl.* p. 312. *Hypod. Neustriae.* p. 537. Scripsit, eum mortuum esse anno 1385, in quo tamen erravit. Constat enim ex Registro Bokyngham, citato a Vaughano, Vol. I. p. 346. not. 14., Wicliffum ultimo die Dec. 1384 e vitâ decessisse.

concilii Constantiensis (4 Maji 1415) non tantum Johannem Wicliffum solenniter haereticum declararunt ejusque doctrinam condemnarunt, verum vesano furore adeo etiam dementes facti sunt, ut juberent, »*corpus ejus et ossa, si ab aliis fidelium corporibus discerni possent, exhumari, et procul ab Ecclesiasticâ sepulturâ jactari secundum canonicas et legitimas sanctiones*" [1]. Quod tamen mandatum, tredecim demum annis post, jussu Martini V, exsecutus est Richardus Flemingius, hoc tempore Episcopus Lincolniensis: tunc Wicliffi ossa, quae per saeculum circiter dimidiatum in pace requieverant in choro Ecclesiae, beatae Mariae dicatae [2], effoderunt et combusserunt, cineresque in amnem, Luterovortum praeterlabentem, abjecerunt.

---

1 Vid. von der Hardt, *Conc. Const.* Tom. IV. p. 150 sqq. — *Hist. du Conc. de Const. par* Jaques Lenfant. Tom. I. p. 209 sqq.

2 Vid. Lewis. p. 110. — Raynald, ann. 1427. n°. 14. — In hac Aede, quae restaurata etiamnunc praeclarum illius aevi monumentum est, conspicitur pulcra Wicliffi effigies, et insuper Luterovorti adhuc asservantur pulpitum, in quo concionari solebat, toga ejus, aliaeque summi illius viri reliquiae. vid. J. Gorton's *Topographical Dictionary of Great Britain and Ireland.* Lond. 1833. in voce: *Lutterworth.* In domu rectoris parochiae Wycliffe etiam asservatur pulcerrima Wicliffi effigies, quam pinxit Antonius Morus, saeculo XVI medio.

## CAPUT VI.

### DE JOHANNIS WICLIFFI SCRIPTIS.

Non omnia, quae Wicliffus literis mandavit, ad nostram pervenerunt notitiam. Quum enim, damnatâ ejus doctrinâ, libri flammis traderentur, et in Angliâ, et in Bohemiâ, ubi valde dispersi fuerunt, facile interierunt ea, quorum pauca tantum facta erant apographa. Tanta vero librorum, quos composuit, copia fuisse dicitur, ut ingenti numero operum Episcopi Hipponensis, Augustini, aequiparari illa posset [1]. Subinco Lepus, Archiepiscopus Pragensis, paulo ante concilium Constantiense ducenta Wicliffi volumina,

[1] Cochlaeus, *Hist. Huss.* Lib. I.

pulcerrime conscripta, bullis aureis tegumentisque pretiosis ornata, ad incendium conquisivit [1]. Quodsi inspiciamus catalogum librorum ejus, post fata superstitum, demiramur profecto, virum, permultis variisque negotiis et haud sane tranquillo vivendi cursu implicitum, tot doctrinae monumenta post se reliquisse. Quae vero interierunt, quartam tantum ejus operum partem constituisse, atque de argumentis disciplinae scholasticae fere unice egisse feruntur. Imprimis studio et operâ Lollardorum factum est, ut plurimi Wicliffi libri servati sint: namque saeculo XV haud pauci contra Cleri mandatum hos libros sibi confidentissime retinebant, eosque multum transcribendos curabant. Unde saeculo adhuc XVI non modo in Britanniâ, verum et in Germaniâ, Wicliffi scripta legebantur [2]. Quum autem apographa non sine multo impendio et labore confici possent, Lollardorum patroni praecipue sibi curam sumserunt, ut Wicliffi opera describerentur [3].

Saeculo demum XVI, ex operibus Wicliffi duo volumina, *Trialogus* ejus et *Ostiolum*, typis excusa fuerunt in Germaniâ, ipso illo tempore, quo ibi causa Reformationis fortiter agebatur atque in dies corroborabatur magis. Baleus, antiquitatis Britannicae perscrutator diligentissimus, hoc quoque aevo librorum Wicliffi MSS. longam edidit seriem, quâ

---

[1] Baleus. Cent. 6. p. 456.

[2] Hoc testatus est Lelandus. Vid. apud Lewisium. p. XXII.

[3] Imprimis curam hujus rei habuisse dicitur Dominus de Cobhám. Vid. Vaughan. Vol. II. p. 364 sq.

tituli solum, ducenti circiter et quinquaginta, innotescebant: quorum tamen majorem partem se non vidisse, verum ex scriptis adversariorum conlegisse, dixit [1]. Observandum simul, multos apud eum occurrere titulos, qui ad unum eundemque librum pertinent. Johannes etiam Foxus, eodem saeculo florens, nonnulla ex Wicliffi scriptis in Actis et Monumentis, quae edidit, communicabat. Saeculo quidem insequenti accuratius investigare coeperunt ejusdem scripta, imprimis Thomas Jamesius, Proto-bibliothecarius Bodlejanensis [2], et Henricus Whartonus, A. M. et Archiepiscopo Cantuariensi a sacris domesticis [3], atque unum alterumve librum, vel librorum partes et excerpta, in lucem vocare et typis mandare: sed vel sic tamen saeculo demum XVIII operum Wicliffi, et plures e tenebris eruebantur partes, et catalogus satis bonus prodibat, curâ Johannis Lewisii, A. M., verbi divini ministri Margatae [4]. Hoc autem catalogo accuratior ille est, quem anno 1810 dedit Henr. Herv. Baberus, Sub-bibliothecarius Musei Britannici [5]. Longe vero accuratissime hac in re versatus est novissimo tempore Robertus Vaughanus, qui primarias in Angliâ et Hiberniâ bi-

---

[1] Cent. 6. p. 451. — [2] Vid. supra, p. 72. not. I.

[3] Hujus catalogus opp. Wicl. exstat in Vol. II. *Historiae Lit. Scriptt. Eccl.* Guil. Cavei. p. 60 sqq. Cf. etiam Oudinus, *Comment. de Scriptt. Eccl.* Tom. III. p. 1041 sqq.

[4] Hujus operis, quo multum in nostrâ conscribendâ disquisitione usi sumus, nova prodiit editio Oxonii. 1836., una cum ejusdem vita Episcopi Reginaldi Pecokii, 2 Voll. 8°.

[5] Praefixus est hicce catalogus ejus Editioni versionis N. T. Wicliffi.

bliothecas indefesso labore perscrutatus est, snmmâque cum diligentiâ in opera MSS. Wicliffi inquisivit, atque cum horum, tum librorum, qui typis mandati sunt, eximium dedit conspectum [1]. Tum partes quaedam ex scriptis Anglicis Wicliffi nuper evulgatae sunt in opusculo, quod saepius citavimus, a societate quadam religiosâ Londini edito.

Libri Wicliffi MSS., qui longe majorem operum partem constituunt, asservantur in bibliothecis potissimum Angliae et Hiberniae [2]: paucos illos, qui typis mandati fuerunt, in nostrâ disquisitione memoravimus. Inter MSS. alia esse dicuntur satis ampla, brevissima alia.

Scripta ejus universe dividi posse videntur in *philosophica* et *theologica.* Philosophica, quae proprie agunt de variis argumentis disciplinae scholasticae, cuncta in bibliothecis latent. Theologica rursus distribui possunt in scripta ejusmodi, quae in eruditorum,

---

[1] Vol. II. p. 379 sqq. Eundem conspectum ad calcem sui operis adjecit C. W. Le Bas. — In locis, quos Vaughanus ex scriptis Wicliffi Anglicis communicavit, orthographia et vocabula quaedam obsoleta immutata sunt.

[2] Wicliffi opera MSS. reperiuntur Londini cum in Museo Britannico, quod Bibl. Regiam, Collect. Cotton. et MSS. Harl. maxime continet, tum in Bibl. Lambethanâ; Oxonii in celeberrimâ Bodlejanâ Bibl., ubi hodie 28,000 MSS. asservantur; Cantabrigiae in Coll. Corp. Chr.; Dublini in Coll. Trin. — Porro exstat collectio quaedam operum MSS. Wicliffi in Bibl. Pal. Vindobonae: et Joannes Mabillonus in suo *Itinere Italico* refert, se vidisse in Bibl. Laurentianâ Florentiae opera nonnulla Wicliffi MSS. vid. ejus *Museum Italicum*, Tom. I. p. 167. — Cf. etiam Gustavi Haenel *Catal. Librorum MSS.* Lips. 1830.

maxime in doctorum Ecclesiae usum scripsit, et quae in gratiam composuit indoctorum et universe laicorum. In *hisce* Wicliffus doctrinam Christianam simplici ratione exponere plerumque solebat, ut in populo imprimis sensum moralem excitaret et confirmaret. *Illa* autem sunt sive *dogmatica*, sive *exegetica*, sive *moralia*, seu quaestiones e *jure canonico* tractant. Quae nobis innotuerunt, haec mixti plerumque generis et *polemica* sunt. Quum enim, ut vidimus, ad scribendum saepenumero incitaretur rerum temporumque opportunitatibus, multa de industriâ edidit adversus Ecclesiae vitia et corruptelam; atque illud, quod per omnem vitam sibi propositum habuit, Ecclesiam scilicet reformare, scribendo potissimum exsequi studuit.

Hisce igitur praemonitis, procedamus nunc ad exploranda illa Wicliffi scripta, quorum hactenus non nisi leviter mentionem fecimus, quaeque ad praecipua ejus ingenii monumenta pertinere videntur. Primo jam in censum venit ejus

*Versio Codicis sacri in linguam Anglicam.*

Ante Wicliffianam illam, Angli versionem totius Codicis habuisse non videntur [1]. Partes quidem nonnul-

[1] Quae Lingardus, provocans ad verba Thomae Mori (*Dial.* III. 14.), statuit Vol. IV. p. 222., haec sententiis aliorum Anglorum, qui rem, datâ operâ, accuratissime explorarunt, minime congruunt.

las Anglo-Saxones in suam transtulerant linguam, maxime Hebraeorum Hymnos, et Euangelia: nam *ea fuit*, inquit Whartonus, *olim Ecclesiae Anglicanae cura in promovendâ plebis sibi commissae instructione, ut, quoties lingua popularis insignem mutationem passa est, toties recenti versione adornata elementa fidei in vulgus edenda duxerit*[1]. Clerus vero Anglo-Normannicus statim jam minorem habüisse curam videtur de exponendo laicis Codice sacro in linguâ vernaculâ: atque, quo majorem in Angliam vim Hierarchia Romana exseruit, eo magis affirmarunt, grave inesse periculum, si ipsis laicis copia fiebat legendi libros sacros. Sed vel sic monumenta quaedam illius aetatis supersunt, probantia, studium legendi scripta sacra in patrio sermone non prorsus illis temporibus fuisse neglectum. Plures saeculo XIV medio translationes ad literam prodierunt quorundam sacri Codicis librorum in eam linguam, quae a multis in Angliâ tunc excoli coepit, quaeque, temporis decursu magis magisque polita, hodiernum peperit Anglorum sermonem. Ex piis et doctioribus clericis, qui, quanquam pauci numero, illud perfecerunt, praecipue nominandus est Richardus Rollius[2], Wicliffi aequalis, atque in hoc amice cum eo conspirans, quod vitia clericorum aversabatur eaque vehementer reprehendebat. Hicce, tum plures patrio

---

[1] *Auct. Hist. Dogm.* Jac. Usserii. p. 387.

[2] Monachus fuit ex ordine Eremitarum sancti Augustini, in coenobio Hampolensi prope Doncastrium, celebre Eboracensis provinciae oppidum, diu moratus, unde vulgo *Eremita Hampolus* dictus est.

sermone conscripsit libellos in laicorum usum, tum Psalmos majori ex parte et Hymnos Ecclesiae in solutam transtulit orationem Anglicam, commentariosque simul instruxit; qui quidem *commentarii in Psalterium et in Cantica sacra* inter Wicliffi opera fuerunt recensiti, tanquam ab hujus manu profecti, sed injuriose[1]. Totius vero Codicis sacri versione Anglos hoc aevo donavit Johannes Wicliffus.

Exstat autem opusculum, titulo: *Elucidarium Bibliorum*, s. *Prologus ad integram Bibliorum versionem*, quod alii putarunt scriptum fuisse ante, quam Wicliffus suam emiserat versionem, alii ipsi Wicliffo id tribuerunt, sub cujus nomine quoque typis excusum prodiit Londini, anno 1550[2]. In hocce libello auctor, qui scriptorum sacrorum versionem e Latino in Anglicam linguam se suscepisse testatur, et fuse dis-

---

1 Vid. Lewis. p. 150 et Vaughan. Vol. II. p. 395. — Cf. de argumento, quod leviter tantum attingere nobis licuit, Jac. Usserii *Hist. Dogm.* etc. et hujus operis *Auctarium* Henr. Whartoni; imprimis praeclara Baberi disquisitio, *An historical Account of the Sax. and Engl. versions of the Scriptures, previous to the opening of the XV cent.*, praemissa ejusdem Edit. vers. N. T. Wicl.; tum etiam H. Soames, *The Anglo-Saxon Church.* p. 305—310, et alibi passim.

2 Bis typis mandatum est hoc opusculum; anno 1536 prodiit titulo: *The dore of Holy Scriptures*, et anno 1550, titulo: *The pathway to perfect knowledge, the true copye of a Prologue, wrytten about two hundred yeares paste by John Wycklyffe — the original whereof is found wrytten in an olde Englishe Bible, betwixt the Olde Testament and the Newe; which Bible remaineth now in the Kyng hys majesties chamber.* Pars quaedam hujus libelli reperitur in: *Writings and Examinations of Brute, Thorpe, Cobham, etc. printed for the Rel. Tract Soc. Lond.* p. 103 sqq.

serit de viâ et ratione, quam in hoc perficiendo opere secutus est, mentionem etiam injecit de aliâ versione Anglicâ, quae tunc jam aderat[1]: unde nonnulli concluderunt, Anglos ante Wicliffianam integrâ jam gavisos fuisse Codicis sacri versione[2]. Sed huic Prologo indicia certissima insunt, quae scriptum eum fuisse post Wicliffi demum obitum probant. Verba scilicet quaedam Joh. Gersonii ibi laudantur: jam vero Gersonius, qui anno 1363 natus est, hoc tempore, quo opusculum illud scriptum esse nonnulli putant, scripptis suis nondum inclaruerat, ita ut ad ejus auctoritatem provocari posset. Respicitur in eo porro ad Parliamentum, habitum anno 1395. Et praeterea in MS. ejusdem, quod asservatur in bibliothecâ Bodlejanâ, aetas adscripta est, ita tamen, ut evidentissime aliquis numerorum character sit erasus; nam sic scriptum est, MCCC. VIII. Quapropter eorum comprobanda videtur conjectura, qui ante numerum VIII. unum inserendum esse putant characterem, nempe C.; itaque annum illi constituunt 1408[3]. Hoc modo omnis sublata est difficultas, et nil amplius obstat, quominus Wicliffo laudem tribuamus, primum eum fuisse apud Anglos, qui integram librorum sacrorum dedit versionem. Si quis forte quaerat, quis Prologi illius auctor fuerit, admodum verisimile est, hunc Wicliffi

---

1 Vid. Baber, *Memoirs*, etc. p. LIII. et H. Whartonus ad Usserium. p. 425.

2 Jac Usserius et Henr. Whartonus, op. laud. p. 157 et 424 sqq.

3 Hanc rem ita exposuit Baber, *Memoirs*, etc. p. LII sq. et *Histor. Account*, etc. p. LXVIII.

fuisse discipulum, propter multa, quae inibi occurrunt, vestigia sententiarum opinionumque, quas Wicliffus professus est. Conjecerunt quidam, Purvaeum auctorem fuisse[1]. Eidem igitur versio quoque illa tribuenda videtur, quam auctor Prologi se perfecisse dicit[2].

Quomodo autem Wicliffus in vertendis libris sacris versatus fuerit, quibusnam usus subsidiis, utrum solus hoc perfecerit opus, an vero cum amicis quibusdam, haec fere ignoramus. Attamen Baberus testatur[3], in MS. quodam versionis Wicliffi adscriptum esse, quanquam alienâ manu, ad finem partis cap. 3 libri Baruch, »*explicit translacionem Nicholay de Herford*," unde effici liceat, hunc doctorem Oxoniensem atque Wicliffi socium et amicum, in Codice sacro Anglice transferendo suam praestitisse opem. Constat,

---

1 Cf. de hoc Wicliffi discipulo quae diximus supra. pag. 192 et 244 sq.

2 Illi, qui in varia, quae exstant MSS. Codicis sacri, saeculo XIV in linguam Anglicam versi, inquisiverunt, affirmant, satis apertum esse, adfuisse illis temporibus duas versiones, ab eâdem manu non profectas, quamvis utraque e linguâ Latinâ facta esse videatur. Nonnulla scilicet MSS. valde a se invicem discrepant. Idcirco illarum alteram merito Wicliffo tribuunt, Prologi vero auctori alteram. Nam quod Usserius op. laud. p. 157. aliique plures scriptores statuerunt, Johannem Trevisam, clericum saecularem Cornubiensem, qui floruit sub finem saeculi XIV, rogante ipsius patrono Domino Thomâ de Barkeley, utrumque Testamentum Anglice vertisse, parum certum est. vid. Baber, *Histor. Account*, etc. p. LXXII. — De Wicliffi versione mentionem fecit Joh. Hussus in *Replica contra Anglum Joan. Stokes.* Vid. *Hist. et Monum Joan. Hus atque Hieron. Prayensis*. Norimb. 1715. Tom. I. p. 136.

3 *Histor. Account*, etc. p. LXIX.

Wicliffum non vertisse scripta sacra e textu Hebraeo et Graeco, sed e versione Latinâ vulgatâ: eumque adhibuisse scripta Patrum, scholia et glossas, quae tunc exstabant, valde probabile est. Quod attinet ad libros apocryphos veteris Foederis, non hisce eandem attribuit auctoritatem, atque illis libris, quos deinceps in sacrum canonem recepit Ecclesia reformata. Saepius tamen in scriptis suis ad eos provocavit tanquam ad auctoritatem, haud sane contemnendam.

Brevi postquam illa Wicliffi versio prodierat, multum descripta fuisse videtur, sive integra, sive nonnullae ejus partes[1]. Etenim magnum hodieque videre est numerum MSS. hujus versionis, non tantum in publicis magnae Britanniae bibliothecis, verum et in privatis. Pulcerrimum MS. exstare dicitur in Museo Britannico[2]. Versionem novi Testamenti primum edendam curavit Joh. Lewisius, anno 1731, quam editionem iterum evulgavit H. H. Baberus, anno 1810. Veteris Testamenti versione Angli occupati erant anno 1832[3].

Illud Wicliffi opus praestantissimum, quod, etiamsi nil aliud praeterea scripsisset, memoriam viri jam reddidisset immortalem, tanquam monumentum conditionis illis temporibus linguae Anglicae magni quoque est aestimandum. Nam Wicliffus, cum caeteris, quae Anglice scripsit, operibus, tum imprimis illâ versione eximie de linguâ vernaculâ meritus est, quae quidem

---

1 Nonnulla MSS. continent tantum versionem vel quatuor Euangeliorum, vel Epistolarum Paulinarum.

2 In Bibl. Reg. I. c. VIII.

3 Vid. Le Bas. Praef. ad vitam Wicliffi. p. 8.

hoc aevo post fata multa excoli et poliri coepit, Scilicet postquam Britanniae insulam invaserat Guilielmus, Dux Normanniae, lingua Anglo-Saxonica gradatim evanescebat, linguâ vero Normannicâ tunc omnes cultiores homines utebantur: leges et statuta hac linguâ promulgabantur, causae item forenses eâdem peragebantur. Lingua contra Latina Ecclesiasticorum et eruditorum sermo erat; neque Anglo-Saxonica dialectus in usu fere erat, nisi apud populum. Saeculo vero XIV circiter medio, lingua Normannica in desuetudinem abiit, et vetus Anglorum dialectus denuo, et nobilium, et plebis, communis evasit sermo: subierat tamen hoc longo temporis intervallo permagnam mutationem, ratione habitâ ejus formae, terminationum, et pronuntiationis, multisque donata erat vocabulis e linguâ Normannicâ, Gallicâ et Latinâ.[1]. Nunc linguam Anglicam excoluerunt maxime poëtae, qui hac aetate floruere, celebratissimi, Chaucerus, Goverus et Johannes Barbour: atque, prouti hi praeclaris blandisque carminibus patrio condendis sermone, inclaruerunt, sic Johannes Mandevilius, conscribendis rebus, quas viderat, quum per varias peregrinatus erat regiones, parens prosae orationis Anglicae fuisse censetur[2]. Hanc

---

[1] Vid. Blair, *Lect. on Rhet. and Belles Lettres.* Lect. IX. — Baber, *Memoirs.* p. XXXVI sq. — *Revue Brit. Avril. 1835.* pag. 400 sqq.

[2] Henry. Vol. IV. cap. IV. §. 2. — Hallam. Vol. III. p. 571 sqq. — De Chateaubriand, *Essai sur la Littérature Anglaise.* Tom. I. Première Partie.

autem cum alii, tum vel maxime Richardus Rollius et Wicliffus expoliverunt atque limarunt [1].

Anglice quoque a Wicliffo versa est

*Harmonia Euangeliorum Clementis Lanthoniensis.*

Opus, quod Clemens ille, monachus Augustinensis et Prior monasterii Lanthoniensis in Valliâ, saeculo XII, conscripsit, utilissimum erat ad intelligentiam

---

1 Anglorum sententias de Wicliffi in excolendam linguam vernaculam meritis, afferre hic juvat, quippe qui hujus rei optimi sunt judices et aestimatores. » — *the translation*, ait Hallamus, *of the Bible and other writings by Wicliffe — taught us the copiousness and energy of which our native dialect was capable.*" Vol. III. p. 575. — » *It exhibits*, inquit Le Bas de Wicliffi versione, *our language in the most perfect - form which it had then attained, and might, alone, have been sufficient to save it from relapsing into barbarism.*" p. 229. Baber ita suam pronuntiavit sententiam: » *Those of Wiclif's works written in his vernacular tongue, will be perused with interest and admiration by every one curious in the history of the English language, for Wiclif's English will, I apprehend, be found, upon strict examination, to be more pure than that of contemporary writers. Wiclif, as has been just observed, when he wrote in his native tongue, did it not for the benefit of courtiers and scholars, but for the instruction of the less learned portion of the people. He, therefore, as much as possible, rejected (to use an expression of Robert Brunne) a l l s t r a n g e E n g l i s h, that is, all those licentious innovations made upon our language by an influx of French words and phrases, and was studious to express himself in a diction simple and unadorned; at the same time avoiding the charge of a barbarous and familiar phraseology.*" *Memoirs*, p. XXXVII. Atque scriptor quidam

historiae Euangelicae. Wicliffum versioni addidisse prooemium, dicit Whartonus; in quo breviter monuit de auctore, de ratione, quâ ille Euangelia in concordiam redegit, de operis utilitate, et de scriptis sacris, in vernaculâ linguâ legendis[1].

Quum Wicliffus ad studium theologiae biblicae imprimis se applicaret, scripsit etiam multos commentarios in scripta sacra, sive longiores, sive brevissimos. Sic ex. g. exposuit *orationem Dominicam*, *sermonem Jesu in monte*, *orationem Jesu ad discipulos valedictoriam*, alios e sacro Codice locos; et edidisse praeterea fertur *Scholia* et *Glossas*, quae tamen titulo tantum cognita sunt[2]. E loco quodam in *Trialogo* patet, Wicliffum in interprete sacro imprimis requisivisse notitiam grammaticae et logicae[3]: atque, quanquam ab allegoricâ interpretatione haud alienus erat, tamen illa, quae homo Christianus ad percipiendam salutem necessario credere debet, proprio sensu, literali et historico, contineri in Codice sacro existi-

affirmat de Anglicâ Wicliffi linguâ: » — *it will be found that, if the Saxon terminations, expletives, and a few peculiar words are removed, the language is, as it has been well characterised, undefiled English; in fact, very similar to the language of our rural districts at the present day.*" *Writings*, etc. p. 38.

1 *Auct. ad* Usserii *opus*, p. 436. Cf. supra, pag. 167. De Clemente Lanthoniensi, vid. Baleus. Cent. 3. p. 212. — Lewis, p. 149 sq. — Baber, *Memoirs.* p. XLIX.

2 Cf. Vaughan. Vol. II. p. 388, 390 sqq. et 394.

3 In Lib. I. cap. 8. ait: *Et patet, quod totus error in Scripturae sacrae notitiâ et quare idiotae ipsam sic turpificant atque falsificant, est ex grammaticae et logicae ignorantiâ.*

mabat[1]. Imprimis autem libros novi Testamenti majore ex parte exposuit in orationibus sacris, quas habuit per temporis spatium, quod rector fuit Ecclesiae Luterovorti.

## *Wicliffi Homiliae.*

In hisce, quarum exemplaria MSS. etiamnunc asservantur in bibliothecis Angliae et Hiberniae[2], egit potissimum de iis ex Euangeliis et Epistolis locis, qui singulis diebus Dominicis, diebus festis, et feriis, in Ecclesiâ Angliae, Valliae et Hiberniae praelegebantur secundum consuetudinem Sarisburiensem[3]. Exemplaria trecentorum circiter Wicliffi sermonum adhuc superesse dicuntur, quorum alii sunt longiores, perbreves alii, ita ut hi tantum schemata esse videantur. Itaque Wicliffum non semper consuevisse literis antea mandare omnia, quae diceret, saepius vero ex tempore eum dixisse, haud improbabile est. Existimant quoque nonnulli, ipsum suas orationes sacras in lucem non emisisse, sed eas fuisse collectas atque editas post ejus obitum ab amicis quibusdam. Quicquid autem est, haud dubium videtur, quin ea, quae in Wicliffi ser-

---

1 Cf. Vaughan. Vol. II. p. 315. not. 104. Alibi dixit, fidelem Christianum oportere, *ut in literâ tanquam grammaticus conquiescat.* Trial. l. III. c. 31.

2 Vid. Baber, *Memoirs.* p. XLIX. et Vaughan. Vol. II. p. 388.

3 Osmundus scilicet, Episcopus Sarisburiensis, (floruit post medium saeculum XI) composuit librum ordinalem officii Ecclesiastici, quem *Consuetudinarium* vocant. cf. Knyghton. pag. 2351.

monibus, adhuc servatis, continentur, ab eo dicta fuerint coram coetu Luterovortano [1]. Sunt illi omnes Anglice conscripti, et quidem hodieque nobis magni pretii, quoniam hinc ejus theologiam, et theoreticam, et practicam, egregie cognoscere licet: tum vero etiam viri ingenium interius ex iisdem intelligi potest [2]. In orationibus sacris Wicliffus sic versatus est, ut fere unice uteretur methodo *postillandi*, quae dicitur [3], suosque sermones ad antiquorum Christianorum *homilias* componeret. Singulis igitur partibus pericopae Codicis sacri, quam tractabat, interserere solebat explicationem et observationes, quae ad docendos et emendandos homines spectarent. Haec vero postillandi ratio medio aevo eo magis negligi coepit, quo magis doctores studium librorum sacrorum remittebant. Saeculo tamen XIII Cardinalis Hugo de Viennâ adeo in hoc genere excelluit, ut *Postillatoris authentici* nomine ab aequalibus honoraretur. Sed Wicliffi aetate paene in desuetudinem abierant homiliae, earumque locum occupaverant, vel sermones, qui *declarationes* vocabantur, quia orator, nullo e

---

1 Vid. quae dixit Vaughanus. Vol. II. p. 22.

2 Cf. Vaughan. Vol. II. p. 22—36. ubi excerpta quaedam e Wicliffi homiliis communicatae sunt. Tum quoque in op: *Writings of John. Wickliff — printed for the Rel. Tract Soc. Lond.* pulcerrima ex iisdem specimina data sunt. pag. 186—240.

3 Haec ratio exponendi uberius locos quosdam e scriptis sacris sic dicta videtur, quia *post illa* verba pericopae Codicis sacri, quam tractabant, suas adjungebant, observationes. *Postillator* etiam dicebatur, qui verba librorum sacrorum eo, quo currebant, ordine dilucidabat in commentario.

Codice sacro adhibito textu, statim declarabat, de quonam argumento verba esset facturus[1], vel ejusmodi sermones, qui ab ineunte saeculo XIII, quum Archiepiscopus Cantuariensis, Stephanus Langtonus, scripta sacra per capita et commata divisisset, imprimis in Angliâ invaluerunt, et originem a doctoribus Scholasticis traxerunt, quorum subtilitas vel maxime in iis cernebatur. In hisce ita versabantur, ut e Codice sacro textum quendam desumerent, qui thema sermonis esset, et tum materiam disponerent inque partes et particulas infinitas distribuerent, quibus thema illustraretur et probaretur[2]. Quandoquidem autem haec methodus magis apta erat ad ostentandum oratoris ingenium inque dicendo copiam, quam ad docendos et monendos auditores, atque illa *declarandi* ratio Codicis sacri interpretationem turpiter fere negligebat, Wicliffus simplicius homiliarum genus elegisse videtur. Et hac in re agnoscimus denuo viri desiderium redeundi ad rationem illorum temporum, quibus religio Christiana laete viguit.

Illud Wicliffi studium omnes homines doctrinâ Christianâ imbuendi, elucet etiam ex iis scriptis, quae in

[1] Exordium ejusmodi sermonis ita fuisse narrat Thom. Vasconius: » *Intendo in sermone meo sequenti per Dei gratiam tractare de certis materiis seu capitibus utilibus, et in eisdem materiis intendo ponere certas et veras conclusiones. Intendo enim jam locum de timore habendo ad Deum. In primâ materiâ de timore, pono istas conclusiones*, etc. in *Lex. Theol.* P. II. p. 445. MS.

[2] Cf. Wood. Lib. I. p. 58 sq.

commodum et usum hominum indoctorum et inferioris conditionis composuit. Animum autem advertamus ad unum tantum ex illis opusculis, quod inscriptum est,

*The poor Caitiff.*

Hic liber, titulo quoque inscriptus: *Pauper rusticus*, sive *Confessio derelicti pauperis*, plures continet tractatus, in quibus prima fidei rudimenta laicis imperitis traduntur; quocirca non immerito dici videtur *parva quaedam in pauperum usum bibliotheca*. Refert magnopere, quod ad argumenta, non quod ad formam attinet, libros catecheticos recentiores. Opusculum hoc illis temporibus multum in manibus fuisse populi, efficere licet e pluribus, quae etiamnunc exstant, ejus exemplaribus MSS.[1]. In Prologo Wicliffus propositum suum aperuit, dicens, hunc libellum viris et mulieribus, quorum natura bene comparata est, viam indicare, quae ad coelum ducit. Argumenta autem, quae ad hoc assequendum propositum tractavit, sunt haec: *On the Belief*[2]; *On the then Commandments*; *On the Lord's Prayer*; *Of per-*

---

[1] Vid. Baber, *Memoirs*, p. XLVII. — Vaughan. Vol. II. p. 385. Fere integrum typis expressum est in: *Writings of John Wickliff* etc. p. 49—122. In fine MS. ejusdem libelli in Museo Brit. addita est notula, unde apparet, quanti illud Angli aestimaverint; nam hoc MS. a pluribus, ab altero alteri, testamento fuit relictum. — Vocabulum *Caitiff* idem esse dicitur atque Italorum *cattivo*, captivus, et tam *nebulonem*, quam *hominem infimae conditionis, qui rebus omnibus ad bene vivendum eget*, significare videtur.

[2] In hoc tractatu agitur de *Symbolo Apostolorum*.

*fect Life, or the counsel of Christ; Of Temptation, or of virtuous Patience; The Charter of our heavenly Heritage; The Armour of Heaven, or of ghostly Battle; To love Jesus*; *Of the Love of Jesus; Of Meekness; Of man's Will; Of active Life and contemplative Life.*

Jam vero commemorandum est opus Wicliffi gravissimum, saepenumero jam a nobis citatum, quod, etiamsi ubivis philosophum Scholasticum prodit, simul tamen nobis ob oculos ponit theologum, doctrinâ Christianâ penitus imbutum summâque reverentiâ prosecutum Codicem sacrum. Illud opus inscriptum est

*Trialogus.*

Occurrit idem subinde *Wicliffi Dialogorum* titulo. Extremâ vitae aetate, quum Luterovorti degebat, hunc librum edidit[1]. Sin minus hoc temporis spatio totum librum conscripserit, ea saltem, quae in Universitate Oxoniensi jam antea de iisdem argumentis praelegerat, tunc disposuisse, emendasse, atque, multis novis additis, in hoc volumen redegisse videtur. Typis liber mandatus est anno 1525, hocce titulo: Jo. Wiclefi,

---

1 Quod patet cum ex aliis argumentis internis, tum exinde, quod Lib. IV. cap. 36. mentionem injecit de recenti terrae motu, qui, Ecclesiasticorum congregatâ synodo ad damnandas sententias haereticas, Angliam pervaserat. In illum autem locum sive typographi, sive descriptoris culpâ, vitium irrepsit: legitur enim pro *anno 1382* annus 1372.

*viri undiquaque piissimi, Dialogorum libri quatuor; quorum primus divinitatem et ideas tractat: secundus universarum creationem complectitur: tertius de virtutibus vitiisque ipsis contrariis copiosissime loquitur: quartus Romanae Ecclesiae sacramenta, ejus pestiferam dotationem, Antichristi regnum, fratrum fraudulentam originem atque eorum hypocrisim, variaque nostro aevo scitu dignissima graphice perstringit; quae ut essent inventu facilia, singulorum librorum, tum caput, tum capitis summam indice praenotavimus.* M. D. XXV. 4°. Nomen loci et typographi non memoratum est. Suspicati sunt nonnulli, typis volumen mandatum fuisse Basileae apud Johannem Oporinum, qui Balei, Foxii, aliorumque Anglorum opera edidit; alii vero id attribuerunt curae Valentiae Kob [1]. Haec editio hodie admodum rara est [2]. Iterum illa prodit anno 1753, Francofurti et Lipsiae, impensis Joh. Gottl. Vierlingii, aucta catalogo scriptorum, qui de Wicliffo egerunt, ac vitae ejus, placitorum et operum descriptione, auctore Lud. Phil. Wirth [3]; quae altera Trialogi editio itidem, atque prior illa, vitiosa et sine ullâ fere κρίσει elaborata est.

---

[1] Vid. Baber, *Memoirs*, p. L.

[2] Cf. Baber, ibid. In bibliotheca Acad. Rheno-Traj. exstat hujus editionis exemplar, in quo ante titulum scriptum est, hunc librum *ex auctione librorum Episcopi Londinensis Hayter* venisse in possessionem C. J. Sullovii, eundemque an. 1754, Thomam Bernard d. d. d. Thomae, Norvicensi Episcopo.

[3] Hoc Wirthii opusculum rerum farraginem continet.

Wicliffi Trialogus, opus doctissimum, continere videtur summam ejus doctrinae, cum philosophicae, tum theologicae, una cum primariis illis placitis, quae opposuit dogmatibus Ecclesiae Romanae. Quamobrem Pontificii hujus imprimis libri exemplaria undique conquirere conati sunt, et flammis tradiderunt, quaecunque invenire poterant. Ex eodem quoque, quae in conciliis Londini, Romae et Constantiae 1396, 1412 et 1415 habitis, tanquam haereticae damnabantur, Wicliffi sententiae collectae potissimum fuerunt. Et Guilielmus Widefordus, Minorita, rogatu Archiepiscopi Arundelii, datâ operâ, contra hunc librum scripsit [1].

Quia in hoc libro tres personae, Alithia, Pseudis, et Phronesis, secum invicem de rebus gravissimis colloquentes inducuntur, titulum *Trialogi* nactus est. Quare hanc scribendi formam sumserit, Wicliffus ipse rationem reddidit. *Cum loquutio*, ait, *ad personam multis plus complacet, quam loquutio generalis, et mens multorum, qui afficiuntur singularibus, ex tali loquutione acuitur, vidimus, quod posset multis utilis quidam esse Trialogus, ubi primo, Alithia, tanquam solidus theologus loqueretur: secundo, infidelis, captiosus, tanquam Pseudis objiceret: et tertio, subtilis theologus et maturus, tanquam Phronesis decideret veritatem.* Sub hac autem personâ

[1] Vid. *Articuli Joh. Wiclephi, Angli, impugnati a Wilhelmo Wideforde* in: Orthuini Gratii *Fasciculus rerum expetendarum ac fugiendarum*, 1535. f°. p. 96—133.

Wicliffus maxime latere videtur[1]. Est vero non dialogus, qui vere hoc nomine vocari potest, sed tantum colloquium.

Quum opus illud quatuor constet libris, in *primo* egit Wicliffus de divinâ naturâ, vere exsistente, ejusdemque infinitâ perfectione: dogma de Trinitate ibidem tractatur, et attingit quoque doctrinam, cum Platonis, tum Aristotelis, de ideis. In libro *secundo* disserit de rerum creatarum universitate, de materiâ, de mundi visibilis conversionibus; de animo humano, in quâ tractanda re laudat veterum nonnullorum philosophorum argumenta pro animi immortalitate: porro disserit de Angelis: de praedestinatione Dei: de coelo et corporibus coelestibus, quo loco non obscure significat, Astronomos tunc de ejusmodi rebus balbutire fere solitos atque universe philosophiam naturalem valde adhuc incertam fuisse. Prouti in illis libris de rebus philosophicis potissimum agebat, sic in libro *tertio* disputabat maxime de argumentis moralibus et dogmaticis. Loquitur ibi fuse ratione scholasticâ de virtutibus, de peccato, de gratiâ, de Jesu Salvatoris incarnatione et morte salutiferâ: tum duobus pos-

1 Vid., unde hoc certissime colligi potest, ex. g. Lib. IV. c. 4. initio. Oudinus Wicliffum in hoc scribendo Trialogo imitatum fuisse dixit *Eclogam* Theoduli, in quo colloquio eaedem illae occurrunt personae. Theodulus, Italus, floruit saeculo X exeunte, et in Graecia literis operam navavit. vid. *Comm. de Scriptt. Eccl.* Tom. II. p. 480. Quo autem jure illud affirmaverit Oudinus, non video; nam alii plures illis temporibus doctores hac scribendi formâ usi sunt, v. c. Gersonius scripsit *Dialogum Sophiae et Naturae super coelibatu Ecclesiasticorum.* Opp. II. p. 617 sqq.

tremis capitibus impugnat errores quosdam Ecclesiae, et Codici sacro suum reddit honorem, commendans ejus auctoritatem prae omnibus aliis scriptis, sive Patrum Ecclesiae, sive doctorum recentiorum, et prae bullis et legibus Pontificiis omnibus. In libro autem *quarto* reformatorem plane agit, et sua exponens et defendens placita de septem Ecclesiae sacramentis, invehitur simul acerbissime in fratrum Mendicantium errores et ineptias, ac libere ubivis indicat vitia doctrinae, in Ecclesiâ receptae. Tum disceptat quaestiones de variis ordinibus et officio ministrorum Ecclesiae, de instituto monachico, praesertim Mendicantium, de dotatione Ecclesiae: tandem agit de morte, de resurrectione, de ultimo judicio, atque de vitae futurae conditione[1].

Disticha, quae Wicliffus huic operi adscripsisse proemii loco videtur, hac eum aetate sperasse probant, fore, ut lux Euangelii, in mediis Ecclesiae tenebris oborta, mox denuo orbem Christianum collustraret.

Ex reliquis libris, quos Wicliffus, postquam Uni-

---

[1] Si cui forte ipsum librum inspiciendi copia non est, brevem ejusdem conspectum videre licet apud Schröckhium, *Christl. Kirchengesch.* Vol. XXXIV. p. 495—516. Quae Richardus Simon de Trialogo dixit in opere: *Hist. Critique des principaux Commentateurs du Nouv. Test.* 1693. cap. 45., haec subinde minus recte, nec sine praeoccupato animo, scripta sunt. — Baumgarten-Crusius illum Wicliffi librum esse dixit: »*eine der gedankenreichsten Schriften jener Zeiten.*" *Christl. Dogmengesch.* Vol. I. p. 516. not.

versitate Oxoniensi erat exterminatus, conscripsit, memorabilis imprimis est ille, qui inscribitur: *The great Sentence of Curse expounded*[1]. Argumentum libri e titulo facile intelligitur. Quum more scilicet in Ecclesiâ receptum esset, quater singulis annis solenniter pronuntiare damnationis sententiam contra haereticos omnes et disciplinae Ecclesiasticae non obtemperantes, Wicliffus hunc vehementer reprehendit morem, atque universe doctrinam de censuris Ecclesiasticis impugnavit. Nam absurdum esse existimabat, clericos, anathema sic pronuntiare, quum haud raro ipsi pessimis essent moribus. Cum illud opus, tum alia scripta, hoc fere tempore ab eo edita[2], ad Ecclesiae reformationem potissimum spectant; ex his maxime laudanda sunt, *De obedientiâ Praelatorum*, sive *On obedience to Prelates; How Satanas and his Priests, and his feyned Religious, casten by three cursed heresies to destroy all good living and meyntening all manner of sin; De Dominis et Servis*, sive *Of Servants and Lords, how eche shall kepe his degree; Of good preching Priests; Speculum de Antichristo*, sive *How Antichrist and his Clerks feren true Priests for preching of Christ's Gospel by four deceits; De Clericis possessionariis*, sive

---

1 MS. Angl. in C. C. C. Cantabr. vid. Vaughan. Vol. II. pag. 208 sq. qui de hocce opere dicit: *It is replete with almost every sentiment distinguishing the religion of the Bible from that of the Papal power.* — Ex eodem quoque plures locos citavit Lewisius."

2 Cf. quae diximus supra, pag. 232.

*of Clerks possessioners; De Nequitiis Papae*, sive *How Antichrist and his Clerks travellen to destroy holy Writ, and to make Christian men unstable in the faith, and to set their ground in Devils of hell*[1]. Ex his Vaughanus excerpta quaedam operi suo inseruit, atque universe de iis accurate disputasse videtur [2]. Nos autem quominus de caeteris Wicliffi scriptis plura dicamus, impedimur, quandoquidem copia eorum inspiciendorum defuit.

---

1 Haec MSS. exstant in C. C. C. Cantabr. — Postremum, quod laudavimus, reperitur quoque in op: *Writings*, etc. pag. 172—178. — 2 Vol. II. p. 182—214.

# EPILOGUS.

Disquisitionibus nostris de vitâ, ingenio et scriptis Johannis Wicliffi ad finem nunc perductis, quae disputavimus, paucis complecti operae pretium erit, ut praestantissimi illius viri imaginem velut repraesentare nobis conemur, atque intelligamus, quid de ejus studiis reformandi sit judicandum.

Naturam profecto haud novercam habuit Wicliffus, sed eximie ab illâ animi ingeniique dotibus ornatus, felicissime eas excoluit atque ad perfectionis quendam gradum evehere studuit. Singulare in eo animadvertimus cognoscendi studium, magnam exercitationis assiduitatem, subactum et acutum judicium; et, quamvis in disputando quidem a subtili argumentatione eâque subinde ingeniosâ magis, quam dilucidâ et firmâ,

non esset alienus, ejus tamen ingenii acumen egregie valebat ad verum a falso secernendum. Veri autem amore adeo ducebatur, ut scriberet aliquando: *Paratus tamen semper sum revocare, quicquid dixero, doctus, quod sit contrarium veritati*[1]. Atque doctrinae, quam sibi comparaverat, tanta erat copia, ut in philosophiâ et theologiâ scholasticâ plane excelleret, a jure canonico et civili non mediocriter esset instructus, inque illâ theologicâ disciplinâ, quae, quanquam interpretum aliorumque doctorum scripta minime negligit, circa ipsos libros sacros praecipue versatur, aequales suos longo post se intervallo relinqueret. Quodsi Erasmi aetas Wicliffum tulisset, quum literae Latinae, Graecae et Hebraeae, una cum philosophiâ saniore laetissime vigebant, nihil, ut videtur, ad consummatam eruditionem ei defuisset.

Cum ingenii autem praestantiâ et variâ eruditione, generosa in Wicliffo copulata erat indoles. Sensus moralis et religiosus, quem intus fovebat, impulit eum ad constans et perpetuum studium ex religionis Christianae praeceptis vitae transigendae: et propterea in Jesu Apostolorumque vitam, ingenium, mores, mens ejus intenta infixaque perpetuo erat. Prouti vero officia sua religiosissime colebat, atque in studio virtutis tantum ponebat, ut, ubi virtus esset, ibi miseria esse non posse existimaret, sic naturae quoque socios, quos vel maxime diligebat, ad honesta quaeque exhortabatur, ut felices eos redderet. Sed caritates ejus om-

[1] *Trial.* Lib. I. cap. 10.

nes complectebatur amor erga Deum, quem suam erga hominem amorem in Jesu Christo luculentissime patefecisse putabat. Gratuitus idcirco ille amor incitamentum ei fuit efficacissimum ad Deum mutuo amandum, vitamque secundum hujus voluntatem instituendam. Brevi ut dicamus, tam laudabiliter semper vixit, ut insignis ejus pietas in dubium nunquam sit vocata [1]. Quum autem rarâ morum gravitate esset praeditus, valde eum contristabat Ecclesiae depravatio, unde vulgo ipsius animus ad dolorem potius, quam ad hilaritatem, propensus fuisse videtur [2]. Hinc etiam mentis ille fervor in reprehendendis aevi vitiis. Quanta porro in Wicliffo erat magnanimitas, quanta fortitudo, quanta audacia et perseverantia in agendâ, quam susceperat, causâ! Neque labores, neque aerumnae, nec minationes, ne vitae quidem pericula deterrere eum poterant a propugnandâ veritate: nam

*Justum et tenacem propositi virum*
*Non voltus instantis tyranni*
*Mente quatit solida.*

De tanto igitur viro mirum non est Johannem Hussum, quod narrant, dixisse, *se, postquam ex hac luce migraret, in ea loca proficisci cupere, ad quae*

---

